Flamsteed, John / Ptolemaeus, Claudius / Brahe, Tycho

Historiae Coelestis Britannicae Volumen ...

Londoni 1725


INVENTA
REGG. IN POLLING. Anno 1744. FRANCISCVS PRAEPOSITVS. CANN.
SVSCEPISTI ME
EXALTABO TE
PS. 29
Iungwierth del. et Sc. M.

HISTORIA
COELESTIS
BRITANNICA,

Tribus Voluminibus contenta.

VOLUMEN TERTIUM.

HISTORIÆ COELESTIS
BRITANNICÆ
VOLUMEN TERTIUM.

Complectens

PRÆFATIONEM spatiosam (sive in Stellarum *Fixarum* Catalogum PROLEGOMENA) quæ brevem ASTRONOMIÆ *Historiam* præbet, atque Descriptionem *Observationum* peractarum, & *Organorum* adhibitorum tum a pristinis *Astronomis*, tum

In OBSERVATORIO Regio *GRENOVICENSI.*

Deinceps

FIXARUM *Catalogum* a *Ptolemæo*, *Uleg Beig*, *Tychone Brahæo*, *Gulielmo Hessiæ Landtgravio*, ac *Hevelio* constructum.

Demum

Novum ac amplissimum CATALOGUM, *Rectarum Adscensionum*, *Distantiarum a Polo*, *Longitudinum*, *Latitudinum*, & Stellarum Fixarum *Magnitudinum*: una cum *Variationibus Rectarum* Adscensionum, & *Polarium* Distantiarum, dum suas mutant *Longitudines* uno Gradu.

Quibus adnexus est

FIXARUM quarundam *Australium* Catalogus, in nostro *Hemisphærio* non adspectabilium.

Denique

TABULÆ amplissimæ ad inveniendas FIXARUM, & PLANETARUM *Longitudines*, & *Latitudines* per *Inspectionem*, Datis, duntaxat, earum *Rectis Adscensionibus*, ac *Distantiis* a POLO.

A *JOANNE FLAMSTEEDIO*, A. R.

LONDINI: Typis H. MEERE. M.DCC.XXV.

AD LECTOREM PRÆFATIO:

SIVE,

In STELLARUM FIXARUM *Catalogum*

PROLEGOMENA.

KEPLERUS vir Sagax (prima ſuorum Commentariorum parte *de Motibus Stellæ* MARTIS) nobis demonſtravit qualiter illi Homines qui primo Cœleſtium Corporum Motus prope contuiti ſunt, Planetarium Motuum inæqualitatem explorarunt & quomodo hi Motus peragantur, atque ſuper hos Theorias extruxerunt ſuas. *Iſmael* BULIALDUS vir perquam eruditus, in ſuis *Aſtronomiæ Philolaicæ* Prolegomenis, Aſtronomiæ conſtruxit Hiſtoriam; velut etiam *Lucius* BARRETTUS Libro ſuo in *Obſervationes* TYCHONIS BRAHE prolegomeno, quem amplo volumine, Titulo *Hiſtoriæ Danicæ Cœleſtis*, in Lucem edidit. Qui de horum Particularium alterutro erudiri Student, conſultos habeant Authores hoc de Argumento pluribus differentes, de quo parum dicam eorum quæ a prædictis Authoribus tradita ſunt, niſi aliquid exaugendum ſuperſit vel caſtigandum, quædam addendo ab illis forte non excogitata, vel nobis obvia facta, poſtquam illorum Opera edita fuere.

 Ex

Ex primæva Patrum Antediluvianorum & Poſtdiluvianorum Hiſtoria, eorumque Nativitatibus ac Ætatibus, *Noachi* præſertim Ætate, Menſe item ac Menſis die ex quo Diluvium fuit inchoatum, Arca Montibus incubuit & *Noachus* cum ſua familia ex Arca eſt egreſſus, ipſoque Temporis Articulo *Exodi Hebræorum* ex *Ægypto*, eorumque in *Arabia* Peregrinationum Stationibus ſive Caſtrametationibus, aliiſque in *Moyſis* Pentateucho traditis, liquido conſtat, Patriarchas Annorum, certe *ſolarium*, Rationem a Mundi Exordio feciſſe, menſeſque Lunares in uſu habuiſſe; ſicut *Judæi* ſemper & *Muhammedani* Genteſque Orientales in hunc uſque diem in eodem pergunt uſu; quod abſque aliqua motuum Solarium & Lunæ ad Solem Redituum mediocri Notitia fieri nequivit.

Et *Bulialdus* & *Barettus*, quid de *Caliſthene* dicit *Porphyrius*, advertunt; ſcilicet, *Babylonios* Obſervationes Cœleſtes Columnis lateritiis inſcriptas, per Annos 1903, ante captam ab *Alexandro* MAGNO *Babylonem* (Annis nempe 330 ante Æram Chriſtianam) habuiſſe affirmat *Caliſthenes*; adeo ut *Babyloniorum* Obſervationes, ſi certe aliquas feciſſent, noſtri Redemptoris Nativitate Antiquiores Annis 2233 fuiſſe oportet; ideſt, ſecundum hebraicam Temporum Rationem Anno Mundi 1771, & ab Anno τȣ Phaleg 14to, vel ab Anno poſt Diluvium 115to, ipſius *Nimrodi* Temporibus, inter ædificandam etiam *Babelis* Turrim, Siderum contemplationi vacare cœperunt *Babylonii*; non autem a Quinto vel Decimo poſt Diluvium Anno, ſecundum Domini *Cary* ſupputationem *Maſoraticam* quæ Vero abſimilis eſt.

Eruditiſſimus enim Eques, Noſtras, *Joannes* MARSHAMUS *in ſuo Canone Chronico*, *Jeſchahjæ* Prophetæ verba (cap. XXIII. v. 13.) recitans, *Ecce Terra Chaldeorum! Iſte Populus aliquando non erat*; Aſſyrius *fundavit eam Deſerticulis*; *erexerunt Arces ejus*, *ſuſcitaverunt Ædes ejus*; *poſuit eam in Ruinam* (Jun. & Trem. Aſſyrius *poſuit eam in Ruinam*) hac ſcilicet Paraphraſi iſta verba reddit, " Aſpice *Babylonem* ſplendidam nunc *Chaldæorum* Metropolim! Populus qui urbem illam occupat, non " ita pridem incertis ſedibus vagabatur in Solitudinibus; " (NABONASSAR) *Aſſyrius*, homines σκηνίτας, *in Tentoris habitantes*, eo deduxit, urbem munivit, arces excitavit, Palatia " condidit: Tanta cum ſit urbs hæc ab *Aſſyrio* iſto fundata,

Editionis *Lipſienſis* vel *Franckeranæ* pagina 509.

" DEUS

"DEUS tamen eam posuit in Ruinam." Et exinde *Babylonem*, etiamsi apud quosdam veteres Authores ejus Antiquitate clarissimam, tempore tantum *Jeschahjæ* cum *Nabonassare* coævi, vel non multo ante istius Tempora & *Nabonassari* Æram, ædificatam fuisse concludit: atque ad hanc suam Opinionem stabiliendam, tum sacrorum Scriptorum primum esse *Jeschahjam* qui urbis *Babyloniæ* mentionem facit, tum *Ptolomæi* Canonem Reges tantum *Assyrios* ac *Medos* commemorare, sine aliqua Regum *Babyloniorum* nominatione, advertit;

Κανὸν Βασιλειων Ασσυριων και Μηδων.

Canon Regum Assyriorum & Medorum.

Viginti enim ante *Cyrum* Reges recenset iste Canon, quorum 18 primi erant *Assyrii* ac duo Posteriores *Medi*, quibusque *Medis Persarum* Reges confestim successerunt. Quicunque autem hujus Thematis pluscuIum videre cupiunt, locum *Canonis Chronici* prædictum consulant.

Si vero *Babylonem* fuisse constructam non multo ante *Jeschahjæ* Tempora concedatur, ac tamen Observationes Cœlestes habuissent per 1903 Annos ante urbem ab *Alexandro* captam, sequetur, istas a *Babyloniis* ipsis non factas fuisse, sed ex Nationum circiter, vel post, *Jeschahjæ* Tempora ab eis domitarum & captivarum Tabulis publicis repertas ac transcriptas, præsertim *Israelitarum* & *Judæorum*, qui, ob Festa Solennia certis *Lunæ* diebus fixa, *Lunæ* motibus invigilabant & Eclipsium Tabulas custodiebant magis quam aliæ Gentes, quibus nulla fuere Festa *Pleniluniis* fixa, ideoque minor istis Pleniluniis invigilandi Ansa.

Observatu dignum est Ethnicos veteres nullam *Æram* habuisse fixam, qua rerum memorabilium Annos in Tabulas referre potuerunt, usque dum hujus Prophetæ tempora, qui *Uzziæ*, *Jothami*, *Achazi* ac *Hezekiæ*, Regum *Judæ*, diebus vaticinatus est.

Primus autem Annus *primæ* OLYMPIADIS nostris incipitur Chronographis, a *Novilunio* post Solstitium æstivum vel circa *Julii* Calendas.

Anno *Uzziæ*	ante Æram Christianam	Anno Mundi	Period. *Julian.*
35.	776.	3228.	3938.

vel

vel ſeptemdecim Annis ante *Uzziæ* obitum; regnavit enim Annos 52, Annoque ſecundo *Olympiadis* 5^{tæ} Fatis conceſſit.

Itidem *Annus* URBIS CONDITÆ fuit

Jothami Regis VI.	ante Æram Chriſtianam 753.	Anno Mundi 3251.	Period. *Julian.* 3961.	Anno Quarto *Olymp.* VI.

vel potius Annus *Urbis Conditæ* fuit.

XI.	748.	3256.	3966.	Anno Quarto *Olymp.* VII.

vel paulo ante Initium *Olympiadis Octavæ,* (juxta *Fabii Pictoris* Romanorum Scriptorum Antiquiſſimi, & Ludorum ſecularium a veteribus *Romanis* obſervatorum Rationes) in Feſto *Palilitio,* duodecimo Calendas *Maii,* a ROMULO condi coepta fuit ROMA.

Et NABONASSARI *Æra* Annorum Æquabilium, diebus nempe 365, abſque 6 horarum *Intercalatione,* confectorum Summo Aſtronomorum Conſenſu incipit.

Anno *Jothami* XII.	ante Æram Chriſtianam 747.	Anno Mundi 3257.	Period. *Julian.* 3967.	*Urbis Conditæ* 2. vel 7.	Anno primo *Olymp.* VIII.

primo autem hujus *Æræ* Anno a *Februarii* die 26to incipiente, per Quadriennia ſingula, ob Omiſſam *Intercalationem,* uno die fit Regreſſus, donec Anni Initium per ſingulos dierum 365 ſucceſſive vagatum, ſpatio Annorum 1461 (qui Annos conſtituunt *Julianos* 1460) ad primum redeat Terminum. Hi vero *Nabonaſſari* Anni aliter vocantur *Ægyptiaci,* atque *Ptolomæo* familiares, qui eos ad ſua ſub *Antonino* Imperatore Tempora uſque deducit. Ideoque tres iſtas *Olympiadum, Urbis Conditæ* ac *Nabonaſſari Æras* inſignes, inter Triginta Annorum ſpatium, initium facere conſtat; atque Temporum Rationes, uſquedum Æra *Olympiadum* fuit inventa, intricatas valde ac incertas fuiſſe, multum conqueritur *Herodotus.*

Achazi Regis *Judæ* Horoſcopium in ſacris Literis memoratur, antequam Aſtronomiæ quidpiam a *Græcis* vel *Romanis* in

Tabulas

Tabulas fuit relatum; *Decimusſextus* & poſtremus autem *Achazi* Annus, *Quartus* fuit Regni *Hozeæ* Regis *Iſraelis*

ante Æram Chriſtianam	Anno Mundi	*Nabonaſſari*	vel poſt *Nabonaſſari* exitum Sextus: regnavit enim Annos
727.	3277.	21.	*Quatuordecim.*

Itaque ſi *Horoſcopium* iſtud ab ipſo *Achazo* fuerit conſtructum, (quod veriſimile eſt) vel jam fabricatum, vel equidem hoc Anno magis longævum fuiſſe oportet. Imó veró

Hozeæ Anno tributario	*Hezekiæ*	ante Æram Chriſtianam	Anno Mundi	*Nabonaſſari*	Anno Tertio *Olymp.* XIV.
IX.	VI.	721.	3283.	26to	

SAMARIA *Iſraëlitarum* Metropolis, poſt trium Annorum Obſidionem, capta fuit a *Salmanaſſero* Aſſyriorum *Rege*, qui in Ditionem ſuam *Iſraëlitas* omnes in *Chalachum*, nempé, *Chaborem*, *Haram* & *Nehar-gozanem* (quó duas Tribus & Dimidiam trans *Jordanem*, cum *Galilæis* omnibuſque *Nephthalitis* citra *Jordanem*, novemdecim abhinc Annis tranſtulerat *Tiglathpileſer*) & in MEDIÆ Civitates quoque deportavit. Atque hinc *Aſſyrios*, *Medos*, *Chaldæoſque* a captivis *Iſraëlitis*, Aſtronomiæ Elementa primo didiciſſe, credibile videtur.

Eclipſium enim prima apud *Babylonem* obſervata, ſecundúm *Ptolemæum*, contigit Anno *Nabonaſſari* 27mo id eſt, poſt primam *Iſraëlitarum* a *Tiglathpileſero* Captivitatem Annis viginti, alteramque iſtam a *Salmanaſſero* Captivitatem Annó ſequente, *viz.*

Anno Mundi	ante Æram Chriſtianam	Poſt finitum *Achazi* Regnum, ejuſque Horoſcopium extructum, Anno ſeptimó
3284.	720.	vel Octavo. Centum circiter Annis pri-

uſquam *Aſtronomiæ* vel *Matheſeos* quidvis apud *Græcos* in uſu fuiſſe legimus.

Anno ſequente, duæ *lunares* Eclipſes apud *Babylonem*, intra ſex Menſes obſervatæ ſunt; Quod *Eventum* iſtas Captivitates ſubſequens innuere videtur, *Chaldæos* Aſtronomiam ſuam accepiſſe a Captivis *Iſraëlitis*, qui Artis *Sciothericæ* Notitiâ imbuti, Orbitarum *ſolarium* & Periodorum *lunarium*

rium oportet eos non fuiſſe ignaros; a Quibus forſitan *Chaldæi* ſuum SARON, ſive *Eclipſium lunarium*, poſt 223 Lunationes, Reditum didicêre. *Iſraelitarium* enim Natio, a *Moyſis* Exodo ad *Rehoboami* Regis Tempora uſque, per Annos, ſcilicet, 517 permanſit unita. Poſt etiam decem *Tribuum* Defectionem, tametſi Rex Eorum *Jeroboamus* Altaria vitulorum Idololatrica extruxerit, Feſta tamen *Judaicis* vel Hieroſolymitanis Feſtis ſimillima, iſta præſertim *Noviluniorum* & *Pleniluniorum* inſtituit; ut iiſdem Lunæ Tempeſtatibus (quanquam non ſemper iiſdem Menſibus) ante Defectionem uſitatis, Cultum ſuum Novum continuó celebrarent; quod per Annos 254 propemodum ad Captivitatem uſque *Salmanaſſeri* peractum fuit; quo Tempore omnes *Iſraëlitæ* Eclipſium Reditus, per Iſtorum Obſervationes in Pleniluniis frequentes, & ob maximum cum ſuis fratribus *Judæis* conſortium, facillime diſcere potuerunt; quam quidem Scientiam Novis ſuis Dominis ac Domatoribus, ad majorem ab eis honorem lucrifaciendum, impertire curarunt.

Plinius Rerum ab unoquoque excuſarum, ſive inventarum, Rationem reddens, *Cadmum Phœnicum* in *Græciam* primum *Literas* apportaſſe, nobis narrat; & quod *Epigenes*, Author perquam modeſtus, atque inter *Chaldæos* multum verſatus, eos (nempe *Chaldæos*) Annorum 730 Obſervationes Cœleſtes Lateribus inſcriptas habuiſſe referat; *Beroſus* autem & *Critodemus* (qui parciſſime ſcribunt) ſeſe Annorum tantum 480 Obſervationes colligaſſe aſſerunt.

Lib. 7. Cap. 56.

Quando vixerat *Epigenes* non nobis conſtat: cum autem *Tullius* nunquam, & ſæpiſſime *Seneca* ejuſdem meminerit, poſt *Ciceronis*, & ante *Senecæ* Tempora floruiſſe videtur; vel poſt SALVATORIS noſtri Nativitatem Anno quaſi 10mo, ſive Tempus AUGUSTI *Imperatoris* circiter extremum: atque hac Hypotheſi *Epigenis* Anni 730 retró numerati, primæ iſtius Eclipſeos apud *Babylonem* (Anno *Nabonaſſari* 27mo) Tempus pertingunt.

Origin. ſacr.

Eruditiſſimus etiam *noſtras*, Præſul STILLINGFLEET, *Beroſum* Sacerdotem Chaldæum, *Antiochi* Θεȣ *Syriæ* ac *Aſſyriæ* Regis tempore floruiſſe monſtrat; cujus Regnum, ſecundúm noſtros Chronologos, finitum eſt,

Anno *Nabonaſſari*	ante Æram Chriſtianam	Anno Mundi
501.	246.	3758.

a Quibus *Beroſi* & *Critodemi* Annos prædictos 480, ſubducendo, ad *Nabonaſſari* Annum vigeſimum

vigesimum primum deventum est; primæque istius Eclipseos apud *Babylonem* Observatæ, & secundæ *Israelitarum* a *Salmanassero* Captivitatis Tempus appropinquamus.

Hinc perquam videtur probabile, Eclipsium *Babyloniarum* Observationes a *Ptolemæo* recensitas, omnium fuisse Antiquissimas quæ *Antiochi* diebus extabant (imó & *Alexandri Magni* diebus, qui ante *Antiochum* Θεον ab uxore *Laodice* Veneno interfectum, 76 tantum Annis occubuit) quo regnante *Berosus* Sacerdos Chaldæus suam scripsit Historiam; in qua, si aliquæ Observationes Cœlestes illis vetustiores superessent, verisimile est istas memorasset: *Calisthenes* igitur, vel de antiquis apud *Babylonem* Observationibus cœlestibus perperam fuit edoctus, vel si *Chaldæorum* Linguam numerosque intellexisset, in eorum valore ac momento allucinatus est.

Veteres *Græci* scriptores THALETEM *Milesium* omnium *Græcorum* primum Solis aliquam Eclipsin prænunciare idoneum fuisse, ac propterea multa fuisse Admiratione habitum, speciatim, unam Solis Eclipsin apud *Sardem*, regnante *Halyatte* Lydiæ *Rege*, prædixisse animadvertunt; atque exinde, vel ad supputandas Eclipses, tunc Temporis Philosophis Tabulas fuisse, vel, quod probabilius est, *Thaletem* a *Chaldæorum* SARONE supradicto istam supputationem investigasse, colligitur.

DIOGENES *Laërtius* ulterius *Thaletem* narrat fuisse natum

Anno Mundi	ante Æram Christianam	*Nabonassari*	Anno primo *Olymp.*	Anno *Josiæ* Regis *Judæ*
3365.	639.	108.	XXXV.	2do.

Si autem Annos vixerit 92 (uti ex *Sosicrate* refert *Laërtius*) tum Fatis concessit THALES

Anno Mundi	ante Æram Christianam	*Nabonassari* circiter	Anno primo *Olymp.* LVIII vergente.	regnante *Belshazzare* Babyloniæ *Rege*
3457,	547,	200.		

De Solstitiis etiam & Æquinoctiis, ac de *Solis* a Solstitio ad Solstitium Reditibus, *Thaletem* scripsisse, in *Ægyptum* commigrasse, ac inter Sacerdotes *Ægyptios* intime fuisse versatum, a quibus *Geometriam* didicit; omniumque *Græcorum* primum *Triangulum Rectangulum Semicirculo inscribendi Methodum* investigasse,

veftigaffe, nobis tradit *Laërtius*. *Thaletem* utcunque totam iftam Notitiam a Sacerdotibus *Ægyptiis* non didiciffe, verum *Geometras* aliquos, pauló ante ejus Tempora, fuiffe inter *Græcos* theoreticos & cogitabundos, credere malim: *Proclus* enim in fuo *Geometrarum* Elementa colligantium, & ante *Euclidem* infignium, Catalogo, AMERISTUM *Stefichori* Poetæ cum *Thalete* coævi fratrem imprimis collocat. Ante utrumque veruntamen, Annos circiter ducentos, AMOS Propheta, non quidem ex Aftronomica fcientia (quippe a fequendo Grege ad prophetandum vocatus) fed ex Revelatione divina Solares Eclipfes prænunciaffe videtur Cap. VIII. com. 9. 10. *Et erit die illo!* dictum Jehovæ, *efficiam ut Sol occidat in* meridie *& obtenebrabo* Terram *die lucido & commutabo dies* Feftos *veftros in Luctum!*

Centum Annis poft primas iftas *Babyloniorum* Obfervationes, alia fuit *Lunæ* Eclipfis apud *Babylonem* obfervata

Anno Mundi	ante Æram Chriftianam	Anno *Nabopolaffari*	*Nabonaffari*	Annno primo *Olymp.* XL.
3383. vergente	621. vergente	5.	127.	ineunte

circa Tempus quo *Jofias* Judæ *Rex* Fefta Noviluniis, & Pleniluniis, a Legiflatore *Moyfe* fixa, religiofe obfervare decrevit; antequam aliquas Eclipfes, vel in *Græcia* vel in *Ægypto*, obfervatas fuiffe legimus.

Interim ANAXIMANDER *Milefius* natus, Annum circiter

Mundi	ante Æram Chriftianam	*Nabonaffari*	*Olymp.* XLII. Anno primo
3393.	611.	136.	

Signiferi obliquitatem primus obfervans, Gnomonem five *Horofcopium* Æquinoctios & Solftitios monftrans, apud *Spartam*, five *Lacedæmonem*, extruxit; ficut in ejufdem vita nobis narravit *Diogenes Laërtius*, illumque, *addit*, tunc Temporis Senem fuiffe Annorum 64, *viz.*

Anno Mundi	ante Æram Chriftianam	*Nabonaffari*	Anno primo *Olymp.* LVIII.
3457.	547.	200.	vel fecundo ineunte

& non multo poft mortuum fuiffe refert *Laërtius*.

Ideoque

Ideoque Gnomonem ejus prædictum, *Achazi* Horoſcopio Annis circiter 181 poſteriorem, tantóque citiùs *Hebræos* iſtam Matheſeôs partem ante *Græcos* excoluiſſe conſtat.

Eodem Anno quo Solis Eclipſis totalis, a *Thalete* prædicta, apud *Sardem* conſpecta fuit, natus erat *Sami* PYTHAGORAS.

Anno Mundi 3403.	ante Æram Chriſtianam 601.	*Nabonaſſari* 146.	Anno Tertio *Olymp.* XLIV. vel quarto ineunte

Annumque agens Decimum octavum, ſuas ingreſſus eſt Peregrinationes, primóque *Pherecydem*, tum *Anaximandrum* ac denique *Thaletem* Præceptores adivit ſuos; poſtea *Sydonem*, *Byblum*, *Tyrum* aliaſque, *Syriæ* Civitates luſtravit, in quibus etiam in Re Philoſophicâ initiatus eſt: illinc in *Ægyptum* navigans, Terram tetigit *Phœnicam* ut *Carmeli* aſcenderet Montem; *Polycratis* Tyranni *Samienſis* Literas de ſe Teſtimoniales *Amaſidi* Ægyptorum Regi obtulit, ab Eoque Epiſtolam Primariis Sacerdotibus *Ægyptiis* commendatoriam acquiſivit, qui *Iſtis* apud *Memphim* PYTHAGORAM amandarûnt, & hi Sacerdotibus apud *Dioſpolin* illum tranſmiſerunt; ubi circumciſus fuit, Eorumque Linguas, Ritus Sacros ac Μετεμψύχωσιν, Geometriam quoque & Aſtronomiam, treſque Literarum Species didicit, & Sacerdotum *Ægyptiorum* Veterum libros perlegendo, ſcrutando, Seculorum innumerabilium Obſervationes Ei fuere cognitæ. In *Arabiam* deinde, Eruditionis ergó, migravit, ubi ac in *Ægypto* permanſit, donec *Babylonem* profectus eſt. Tunc veró a quibuſdam *Chaldæis* fuit edoctus, & in *Magos perſas Judæoſque* incidens, de illorum Religione vitæque Ratione erudiebatur, ac *Judaicam* didicit Notitiam Aſtronomicam: exinde poſt XXII Peregrinationis ſuæ Annos, *Samum* reverſus eſt; *Polycrate* autem adhuc regnante, in *Italiam*, Libertatis ergó, ſeceſſit, Annum agens quadrageſimum; *Delon Delphoſque* in commigratione ſuâ luſtravit, atque apud *Crotonem*, Italiæ Civitatem perantiquam, XX Annos commoratus eſt; deinde *Metapontum* adivit, ubi, ſicut etiam *Crotonis* & *Heracleæ*, Diſcipulorum ſuorum inſtituit Collegium; demúm veró profani Vulgi furore interfectus eſt.

Pythagoræ idcircó Peregrinationum Tempus inter Ætatis ſuæ Annum 18[um] & 40[um] illabitur; per Annos, ſcilicet, viginti duos Advena fuit, *viz.*

Inter Annum Mundi	ante Æram Chriſtianam	*Nabonaſſari*	inter Annum ſecundum *Olymp.* XLIX.
3421.	583.	164.	& Annum quartum
& 3443.	& 561.	& 186.	*Olymp.* LIV.

Jam vero PRIMA *Judæorum* Captivitas, Anno Regni *Jehoiakimi* undecimo, *Nabonaſſari* 148[vo], & ALTERA Anno Regni *Zedekiæ* undecimo, *Nabonaſſari* 159[no], *Iſta* ſedecim, *Hæc* veró quinque Annis, ante inceptam *Pythagoræ* Peregrinationem, pluribuſque Annis ante ejus in *Babyloniam* Appulſum, evenêrunt; ideoque a *Judæis* in *Chaldæorum* Regione dudum Incolis, Aſtronomiam æque ac eorum Ritus religioſos & Ceremonias facili negotio ediſcere potuit *Pythagoras.*

Apud alios tamen Auctores veteres, *Pythagoram*, tribus fermé Annis poſtquam *Thales* diem obiit, in *Ægyptum* navigaſſe, conſtat, *viz.*

Mundi Anno	ante Æram Chriſtianam	*Nabonaſſari*	Anno quarto *Olymp.* LVIII.
3460.	544.	203.	

In *Ægypto* & *Arabiâ* viginti duos permanſit Annos, donec a *Cambyſe* Perſarum Rege Captivus, in *Babyloniam*, uná cum Prædâ *Ægyptiacâ*, deportatus fuerit

Anno Mundi	ante Æram Chriſtianam	*Nabonaſſari*	Anno ſecundo *Olymp.* LXIV.
3482.	522.	225.	

Illumque hac in Regione quinque tantum Annis Operam Studiis navaſſe concedendo, ejus Peregrinationum Tempus illabitur

Inter Annum Mundi	ante Æram Chriſtianam	*Nabonaſſari*	inter Annum quartum *Olymp.* LVIII.
3460.	544.	203.	& Annum tertium
& 3487.	& 517.	& 230.	*Olymp.* LXV.

per Annos nempé *ſeptem & viginti* Advena fuit: Adeo ut *Prima* iſta *Judæorum* Captivitas Annis 77, & *Altera* Annis 66, ante *Pythagoræ*

Pythagoræ in *Babyloniam* Appulſum evenerûnt; ideoque tum a *Judæis* nondum in *Palæſtinam* reducibus, tum a *Chaldæis* Judæorum *Diſcipulis*, Aſtronomiam diſcere potuit PYTHAGORAS.

Idem Auctor *Laërtius* ex *Parmenide* refert, *Pythagoram* Philoſophorum fuiſſe primum, qui Stellam veſpertinam & matutinam eandem eſſe affirmavit; quum autem in antiquo Syſtemate *Chaldaico* ♀ *Venus* moveat circa *Solem*, *Pythagoram* Theſin iſtam a *Chaldæis* fuiſſe mutuatum, veriſimile eſt. Terram quoque eſſe rotundam, & alterutrinqué ab *Antipodibus* habitabilem aſſeruit; Omnium veró ejus Aſſertionum obſervatu dignior eſt, *Solis a Terra diſtantiam, tripló tantûm, aut ad ſummum ſextupló, Lunæ diſtantiâ majorem eſſe*; unde *Græcos* certarum *Solis Lunæque* a Terra diſtantiarum Notitiam accuratam nondum acquiſiviſſe patet; illiſque adhuc nullas fuiſſe Tabulas ad *Lunæ* Motus ſupputandos, vel Adumbrationis Terrenæ Diametros in Eclipſibus *Lunaribus*, vel Eclipſium *Solarium* Paralaxibus determinandas, non videtur improbabile; abſque quibus tamen Tabulis, Tempora & Quantitates, in Luminarium Eclipſibus adumbratas, inveſtigare nequiverunt: quum veró THALES *Chaldæorum* SARON, ſive Eclipſium Revolutionem, peregrinando didicerat, ejus ope totalem iſtam apud *Sardem* Eclipſin, regnante *Halyatte* Lydiæ Rege, prænunciare valuit: tantóque magis hoc eſt advertendum, quod jam Tempus appropinquamus, quum Viri quidam inſignes a Deo ſuſcitati, Operum in Cœleſtibus divinorum Notitiam Mundo exquiſitiús darent & luculentiorem.

Græci enim ab *Ægyptiis* Geometriam, & Aſtronomiæ Artiſque *Sciothericæ* principia a *Babyloniis* nacti, rem Philoſophicam quotannis ampliarûnt. *Athenienſium* Menſes, ſicut *Judæorum*, erant Lunares, ſed Eis idem fuit Annus cæteris *Græcis* communis; nam Annum Solarem ex diebus 365 & quadrante, ſive horis 6, eſſe compoſitum, *Lunæque* ad *Solem* Reditus, in eundem *Solaris* Orbitæ locum, talibus Annis *novemdecim* peractos eſſe erudiebantur: Ubi veró iſtius Computationis *Initium* aptarent, adhuc in dubio fuit. Hoc tamen Initium (dum *Athenarum Archon* erat *Abſendes*) a METONE ac *Euctemone* deciſum fuit & aptatum: hi enim Solſtitium πρωίας, tempore Matutino, diei vigeſimi primi τȣ̃ *Phamenoth*

Menſis

Mensis Ægyptiacæ, (*Junii Juliani* die 27mo) Novilunii quoque tempore, contigisse, Observationibus invenerunt Cœlestibus, scilicet

Anno quarto vergente *Olymp.* LXXXVI.	*Nabonassari* 315.	ante Æram Christianam 432.	Anno Mundi 3572.

quibus autem *Mediis* hoc fuit investigatum, nobis non tradidit *Ptolemæus*; tametsi *Umbras* quorundam dierum, antecedentium seinvicem & subsequentium, extensas conferendo, fieri potuit Inventum: hunc ergo Diem sui *novemdecim* Annorum *Cycli* Initium constituit.

Post *Metonem* centum Annis, secundum nostros Chronologos, floruit Euclides, qui sub *Ptolemæi Lagi* Ægyptorum Regis Patrocinio, Geometriæ Elementa, ab aliis *Geometris* jamdudum reperta, in Methodum huc usque non emendatam, colligavit,

Annum circiter Mundi 3700.	ante Æram Christianam 304,	*Nabonassari* circiter 443.	Annum quartum *Olymp.* CXVIII.

quin etiam apprimé scripsit quæ nobis de *Sectionibus Conicis* tradit Apollonius, quatuor primis suis Libris, quibus alios quatuor (ex Arabica Lingua nuper versos editosque) subtexuit ipse *Apollonius*; Qui, *Egyptorum* Regis eruditissimi Ptolemæi Philadelphi tempore, celeberrimus fuit, unà cum *Tymocharide*, *Aristarcho*, & permultis aliis omnium Scientiarum, Artium & Facultatum Professoribus insignibus, præsertim *Geometris*, qui per amplam *doctissimi Regis* Beneficentiam, *Philosophis* omnibus sequuturis maxima largiti sunt Beneficia: adeo ut *Geometria*, ad Astronomiam promovendam perquám requisita, suæ Perfectionis Cacumen fermé pertingit, dúm ipsa *Astronomia* Incunabulis quasi suis adhuc jacebat.

Metonis in observando Solstitio prosper Eventus, alios solertes Viros *Græcos*, idem facere periculum excitavit; non tantúm ad emendanda *Calendaria*, sed etiam ad *Planetarum* Motus notandos, quos verisimile est *Chaldæi* priús facere instituerunt: *Ptolemæus* enim diversarum Eclipsium *Lunarium*

um, præcipué duarum apud *Babylonem* obſervatarum, Nobis tradit Hiſtoriam; ſcilicet,

Inter *Septimum* Regis *Cambyſis* Annum; Sive *Nabonaſſari*. 225	atque	*Nabonaſſari* Annum 453 Sive primæ *periodi* *Calippienſis* Annum 36
ante Æram Chriſt: 522		Ante Æram Chriſt: 294
Mundi Annum 3482		Mundique Annum 3710

per Annos nempé 228, quandó *Lunam* cum Spica *Virginis* ♍ notavit Timocharis, *Pleiadumque* obſervavit *ſplendidiſſimam* ab eodem Tempore uſque ad

Calippi Annum	*Nabonaſſari*	ante Æram Chriſtianam	Annum Mundi	per Annos nempé *undecim*
47.	464.	283.	3721.	

ab hoc autem Anno ad uſque *Nabonaſſari* 507, per Annos nempé *Quadraginta tres*, ♂, ♀, ☿, cum aliarum Conſtellationum Stellis quibuſdam notantur. Unde veteribus Philoſophis Chartulas, ſive Conſtellationum Tabulas, tunc Temporis exaratas fuiſſe, manifeſtó liquet; quanquam forte ſuas Tabulas non tam conſummatas formârunt & concinnas, quam Iſtæ centum ferme Annis poſt *Timocharidem* delineatæ ab *Hipparcho*, cum quo *Ariſtillus* videtur fuiſſe coætaneus, qui *Pleiadum* ſplendidiſſimæ, *Capellæ* item, & *Caſtoris*, *Pollucis*, triumque in *Urſæ Majoris* Caudâ Stellarum, Declinationes notavit: ut videre eſt *Ptolemai* Libro 7mo, Cap. 3^{tio}.

primi ☽ ad ✱✱ Appulſus a *Græcis* obſervati.

Timocharidis Tempore floruit etiam Aristarchus *Samius*, qui Lunam non eſſe διχότομην, ſive in duas partes æquales ſectam, aut dimidió illuminatam, uſque ad ſex horas primam Quadraturam proximo-præcedentes, vel poſt ultimam Quadraturam, animadvertens; exinde *Solem* tunc non fuiſſe a nobis ter aut Sexies, ſed equidem duodevicies aut vicies *Lunâ* remotiorem concluſit: quam Concluſionem in ſuo Tractatu περὶ Μεγέθων καὶ Αποςημάτων ΗΛΙΟΥ καὶ ΣΕΛΗΝΗΣ de *Solis Lunæque* Magnitudinibus atque Diſtantiis, probare conatus eſt; in quo iſtas Diſtantias accuraté illum decreviſſe, non eſt arbitrandum, ſed tantúm propemodúm. Si enim *Lunam* nudo Oculo conſpectam expendamus, eam eſſe dimidió illuminatam,

Editus á Doctore *Wallis*, Græcé & Latiné Operum ejus Volumine 3^{tio}

tam, uſque dum veræ Quadraturæ venerit Hora, vix aut ne vix concludemus: ſi Lunam veró, per Teleſcopium 12, vel 15 Pedum bené machinatum, conſpiciamus, Illa nobis non comparebit dimidió illuminata, donec intra unius Horæ tempus, vel pauló minus, ante primam Quadraturam & poſt ultimam deventum eſt: Hinc autem *Solis* a *Terra* diſtantiam veram iſtâ ab *Ariſtarcho* determinatâ Diſtantiâ, minorem fieri non poſſe, nobis concludendum eſt; quæ tamen Diſtantiæ Determinatio ab omnium ſuorum Coævorum & Anteceſſorum Opinionibus permultúm fuit diverſa.

Hac de re plura videantur in *Ricc. Almag.* Lib. III. Cap. 2, paginâ 108, ubi Terræ Motum & ſuper *Axin* ſuum, & circumcirca *Solem,* Stellis fixis in Diſtantiam a Terra indefinitam amotis, *Ariſtarchum* affirmâſſe narrat; quam ob Cauſam a *Cleanthe* in jus vocatus fuit, *quod Sacra* VESTÆ *moviſſet.* Atque *Ptolemæus* Lib. III. Cap. 2. τȣ Μεγαλ. Συνταξ. *Ariſtarchum* Solſtitium æſtivum obſervaſſe affirmat, Anno ſcilicet

primæ Periodi	*Nabo-*	ante Æram	Annoque	Ptolemæi Phila-
Calippienſis	*naſſari*	Chriſtianam	Mundi	delphi in *Egypto*
50.	467.	280.	3724.	Regis Anno 4to.

Ariſtarchum Lunæ a Terra Diſtantiam decidiſſe, ab ullis ejuſdem Reliquiis non liquet; ſecus enim *Solis, Terræ, Lunæque* Magnitudines multó meliús determinaſſet, ſicut poſterorum ſeculorum Philoſophi fecere, qui, totalium Eclipſium Lunarium Duratione, *Lunæ* a *Terra* Diſtantiam fore 60 circiter *Terræ* Semidiametros inveſtigârunt, & exinde *Solis* a *Terra* Diſtantiam circiter 1200 *Terræ* Semidiametros fuiſſe conjectârunt, quâ in Diſtantiâ propemodúm, *Solem* a *Terra* collocant *Ptolemæus, Albategnius, Alphonſus, Copernicus* & *Tycho:* Quanquam olim *Poſſidonius* (forſitan ob Διχοτομων Lunarium Tempora ab illo cautiús obſervata) *Wendelinus* etiam ſeriús, noſtraſque *Streetus,* ſolem a Terra ſupra 13000 *Terræ* Semidiametros amovent; quæ quidem Majorque diſtantia, Obſervationibus Teleſcopiorum ope peractis, rata eſt & conſtabilita: Nec Angulum a *Lunæ* Diametro ſubtenſum *Ariſtarchi* diebus fuiſſe cognitum, liquidò conſtat.

ERATOSTHENES *Cyrenienſis* ARISTARCHO *Samio* ſuccedens, *Ptolemæi Euergetis* Ægyptorum Regis tempore vergente, celeberrimæ Bibliothecæ Alexandrinæ, a *Ptolemæo Philadelpho* extructæ

extructæ, Præpositus floruit secundus, Annum circiter ante Æram Christianam 224: atque *Bulialdus*, nescio quâ Auctoritate, *Armillam* in quodam Porticu ad Stellas Planetasque ibidem notandas erigendam, curasse narrat *Eratosthenem*. Alii etiam Auctores illum *Ecliptica* obliquitatem 23° 51′ 20″ primum decidisse tradunt: Atque hæc Quantitas ab *Hipparcho*, *Ptolemæo*, omnibusque Astronomis subsequentibus non castigata servabatur; donec ALMAIMON Babyloniæ *Caliphus*, Annum circiter *Christi nostri Salvatoris* 825, & *Hegiræ* 203, illam 16 Minutis minorem, Observationibus reduxit Cœlestibus.

Quidam *Ecliptica* obliquitatem primó investigandam attribuunt *Pythagoræ* vel *Onepidi* Chionensi, eosque cum *Aristarcho* Samio illam 24 Gradus determinasse dicunt: quo veró Instrumento, quâ fuit Instrumentum Magnitudine, & quomodó Eorum Observationes cœlestes, (a quibus deducta est ista Obliquitas) erant peractæ, nullibi, ut scio, Nobis est impertitum.

Eclipses quædam Lunares inter *Timocharidis* & *Hipparchi* Tempora observabantur, quarum una Circumstantiis vestita memorabilibus a *Livio* notatur, scilicet, quod ante Prælium, istud ingens inter *Paulum Æmilium* Consulem Romanum & *Perseum* Macedoniæ Regem ultimum, *Sulpitius Gallus*, Militum Tribunus, *Æmilium* accedens, magnam fore *Lunæ* Eclipsin nocte proximo-sequente ei significavit; Consulisque istius jussu, toti Exercitui rem divulgavit, ne quis illud pro Portento acciperet quod naturali ordine eventurum & sciri & prædici potuit: adeo ut Milites *Romani* istud Φαινόμενον, secundum hujus Tribuni prædictionem, nocte sequente videntes, nequaquam erant perterriti: *Macedones* veró, illam Eclipsin conspicientes, ut triste Prodigium, Regni Occasum Gentisque perniciem portendens, magnâ Extasi fuere perculsi; & *Æmilius* crastino die, cum *Macedonibus*, ab istâ Formidine nondum liberatis, dimicans, maximam reportavit Victoriam, circa Nonas septembres

ante Æram Christianam 168.	Anno Mundi 3836.	Urbis Conditæ 586. vel 580.	*Nabonassari* Annum circiter 580.	Anno XI[mo] tertiæ periodi *Calippiensis*	Anno primo *Olymp.* CLIII.

duobus vel tribus Annis antequam belligerare aggressus est,

Judas

Judas Maccabæus, & eo Anno quo *Hipparchus* primum ſuum Æquinoctium Autumnale notavit.

Ptolemæus in multis ſuis Eclectis, *Hipparchi* tum vernalium tum autumnalium Æquinoctiorum & quarundam Eclipſium *Lunarium* Obſervationes, atque etiam (ut a *Plinio* conjectare licet) Stellarum Fixarum ejus Catalogum, nobis traduxit; *Hipparchum* enim Stellas novas aſpicientem, Inſtrumenta ad Earum Loca notanda fabricâſſe aſſerit, Earumque formâſſe Catalogum, quem Poſteris literariis Teſtamento ſuo legavit; quo videre poſſint num Earum aliquæ extinguerentur vel denuó perlucerent vel novæ orirentur. Fixarum Motum quotannis Antrorſum eſſe, primus exploravit *Hipparchus*; atque *Ptolemæus* Motum hunc, centum Annorum ſpatio, per unum ferme Gradum eſſe exporrectum affirmat: *Ptolemæus* enim a Tempore quo *Hipparchus* ſuas finivit Obſervationes ad *Antonini* Imperium (cujus Imperio ineunte ſuas fecit ipſe *Ptolemæus*) Annos computat 265, quibus Antrorſum moverunt *Fixæ* per 02° 40′ 00″ vel propemodúm per unum Gradum, ut aſſeverat, centum Annorum Spatio. *Veterum* autem Obſervationes cum Iſtis noſtri Temporis conferendo, verus *Fixarum* Motus reperitur fore 03° 41′ 00″ ſpatio Annorum 265. Jam vero quum *Plinius* nos faciat certiores, *Hipparchum* ad *Fixas* notandas Inſtrumenta cudiſſe, Earumque *Catalogum* formâſſe Poſteritati legatum; & quum Earum Motum eſſe 02° 40′ 00″ tam ſtrenue certat *Ptolemæus*; hinc ideo plané nobis indicatum eſt, *Ptolemæi* Catalogum, in ejus Magna Syntaxi traditum, ipſiſſimum eſſe *Hipparchi* Catalogum ad uſque Initium Regni *Antonini* dilatum, addendo, ſcilicet, *Hipparchi* Longitudinibus 02° 40′ 00″: Exinde autem quoque ſequitur, *Ptolemæum* omnia *Fixarum* loca (ac proinde *Lunæ* ſiderumque cæterorum Loca) uno integro Gradu minora computâſſe quam facta fuiſſe oportuit: Reductio enim realis quam facere debuit *Ptolemæus*, ſive verus *Fixarum*, ſpatio Annorum 265 Motus fuit 03° 41′ 00″ ut ſupra dictum eſt.

QUAMVIS autem a Supradictis, veteres *Chaldæos* τὸ SARON ſuum, ſive *Lunarium* Eclipſium periodum vel ab *Iſraëlitis* vel a *Judæis* mutuatos eſſe, non incredibile videatur; Eoſque, qui *Eclipſium* Periodos invenerant, de veris *Fixarum* & Conſtellationum Locis, æque ac de *Aſtronomia* & Conſtructionibus

nibus Mechanicis Notitiam, ſaltem modicam lucratos eſſe, veriſimile ſit; aliquas tamen de *Fixarum* Locis accuratas Obſervationes, ante *Timocharidis* & *Ariſtilli*, vel equidem *Hipparchi* Tempora factas fuiſſe, ullis Veterum Reliquiis & Monumentis Nobis non liquet. *Ptolemæus* enim (cui acceptum referimus quicquid a Veteribus hoc de Argumento Nobis eſt traductum) ſe perpaucas *Fixarum* Obſervationes ante ſua Tempora reperiviſſe, illaſque tantum a *Timocharide, Ariſtillo,* & *Hipparcho* factas, a duobus quidem prioribus neque exquiſitas nec indubias, ab *Hipparcho* veró tum ſtudioſé nobis conſignatas, tum indubitatas fuiſſe, diſerté aſſerit.

Μεγαλ. Συνταξ. Lib. VII. Cap. I.

Quoſdam *Lunæ* ad Stellas Fixas Appulſus *Timocharis* atque *Ariſtillus* notarûnt, Annum circiter ante Æram Chriſtianam 295 Annumque, Mundi 3709 & poſtea Anno 283 Mundique Anno 3721. *Eudoxus* etiam, qui 73 Annis ante *Timocharidem* floruit, pauca quædam de Fixarum Declinatione obſervata nobis reliquit: nec incertum eſt *Metonem* ac *Euctemonem* (qui Solſtitia & Æquinoctia notaverant, quique Anni Diuturnitatem, *Solis* Curſum *Lunæque* Phaſes & Periodos nonnihil reſciverant) de *Fixarum* Locis Notitiam venatos eſſe aliquantulam, ſine qua nunquam *Lunæ* Loca ſive Poſitiones, *Eclipſium* Temporibus exceptis, inveſtigare potuerunt: ideoque, ut *Lunæ* ac Planetarum Loca vera inveniantur, ad *Fixarum* Catalogos conſcribendos primó ſeſe Accommodâſſe, maximé videtur probabile.

PTOLEMÆUS *Fixarum* Declinationes ab *Ariſtillo, Timocharide, Hipparcho,* & Seipſo Notatas Nobis tradit Lib. III. Cap. 3^tio^, quas hic inſerendas putavi, *viz.*	*Timocharis.*	*Hipparchus.*	*Ariſtillus.*	*Ptolemæus.*	*Error. Timoc & Ariſtil.*	*Error. Hippa.*	*Error. Ptolemæi.*
	° ′	° ′	° ′	° ′	′	′	′
Lucidæ Aquilæ	B 5 48	5 48		5 50	+ 2	+ 3	+ 6
Mediæ Pleiadum Aldebaran	B 14 30	15 30		16 15	+ 4	— 6	+ 26
Lucidæ Hyadum	B 8 45	9 45		11 0	+ 13	— 7	— 12
Capellæ	B	40 24	40 0	41 10	— 24	— 6	+ 11
Præcedentis Orionis Humeri	B 1 12	1 48		2 30	+ 4	+ 2	+ 13
Sequentis Orionis Humeri	B 3 50	4 20		5 15	— ½	— 2	— 16
Lucidæ in Ore Canis	A 16 20	16 0		15 45	+ 35	+ 43	+ 41
Præced. in cap. Gemini ſequent.							
Caſtoris	B	33 10	33 0	33 24	0	+ 2	+ 1
Pollucis		30 0	30 0	30 10	— 9	— ⅔	— 3
Cordis Leonis	B 21 20	20 40		19 50	— 18	— 6	— 6
Spicæ	B 1 24	0 36 B		0 30 A	— 5	— 12	+ 33
Ultimæ ſive illius in Extremitate, Caudæ Urſæ Majoris	B	60 45	61 30	59 40			
Mediæ	B	66 30	67 15	65 0			
Tertiæ (ſive in Caudæ Radice)	B	67 36	68 30	66 15			
Arcturi	B 31 30	31 0		29 50	— 21	— 46	— 63
Lucidæ in Extremitate Auſtralioris Chelarum Scorpii	A 5 0	5 36		7 10			
Illius in Extremitate Borealis Chelarum	A 1 12	0 24		1 0			
Lucidæ in Pectore Scorpii Antares	A 18 20	19 0		20 15	+ 6	+ 11	+ 6

Ex his, *Timocharidis*, *Hipparchi* ac *Ptolemæi* de Spicæ ♍ *Virginis* Declinationibus, Obſervationes expendere, illaſque cum iſtis in Tabulas noſtras relatis conferre, operæ prætium erit: hæc enim Stella ♍ eorum diebus cis punctum ♎ *Libræ* Æquinoctiale 8° 00′ 00″ plus minus obſervabatur; noſtris veró diebus ultra idem punctum circiter 19° 30′ 00″ notatur; adeo ut ab eorum Tempore ad hodiernum Diem, ſuam Declinationem ullâ aliâ ejuſdem Magnitudinis Stellâ fixâ ocyús tranſtulerit Virgo: ſupponendo enim Annuum Punctorum *Terræ Æquinoctialium* Receſſum exacté eſſe 0° 0′ 50″, Locumque *Spicæ* ♎ *Libræ* conſummaté eſſe 19° 31′ 22″, ſicut in noſtro Catalogo, Anno *Æræ Chriſtianæ* 1689, ſe habet; atque *Timocharidis* Obſervationem, ante *Æram Chriſtianam* Annis 295, fuiſſe peractam; ſequetur ejus Motum per Annos 1984, inter *Timocharidis* Tempora noſtraque, eſſe 27° 33′ 20″. *Timocharidis* ergo Tempore verus ♍ *Virginis* Locus fuit 21° 58′ 02″, & ejuſdem Declinatio Septentrionalis *Vera* tunc fuit 01° 19′ 30″ quam notavit 01° 24′ 00″, ideſt, ſupra noſtram Supputationem 00° 04′ 30″ tantúm.

Ptolemæus, Catalogum ſuum ad primos *Antonini Pii* Imperatoris Annos accommodans, *Hipparchi* Obſervationes ſuis Anteriores Annis, nempé, 265, fuiſſe narrat. Jam veró *Antonini* inchoatum eſt Imperium, Anno *Æræ Chriſtianæ* 137mo; ideoque *Hipparchus* Cœleſtibus dudum vacavit Obſervationibus Anno ante *Æram Chriſtianam* 128vo, ideſt, Annis 1817 ante noſtram Computationem Anno *Æræ Chr.* 1689 factam; quo Annorum 1817 Spatio *^s^*^s^ promoverunt 25°, 14′, 12″; ita ut *Hipparchi* Tempore, ſecundum noſtras Rationes, Locus *Spicæ* ♍ *Virginis* fuit 24°, 17′, 12″, ejuſque Declinatio Septentrionalis fuit 00°, 24′, 30″, quam *Hipparchus* prodit a ſe obſervatam 00° 36′ 00″. Quum autem *Ptolemæi* Obſervationes, *Antonini* Regno ineunte, ſive Anno *Æræ Chriſtianæ* 137mo vergente, factæ ſint, a noſtrâ receſſerunt Computatione Annos, ſcilicet, 1552; quo Temporis Intervallo, *Stellæ fixæ* antrorſúm ſe tranſtulerunt 21° 33′ 30″; *Ptolemæi* idcirco Tempore verus *Spicæ* ♍ Locus fuit 27° 58′ 00″ ejuſque Declinatio Meridionalis 01° 03′ 17″, Quam tunc Temporis obſervatam prodit tantum 00° 30′ 00″ verſús Meridiem, ſive 00° 33′ 17″ Minorem quám *Timocharidis* Obſervationibus, vel etiam noſtris, fieri

potuit.

potuit. Horum veró Diſcriminum Cauſam indagare nobis eſt operæ prætium.

Timocharis & *Eratoſthenes*, ferme contemporanei, apud *Alexandriam* Obſervationibus vacarunt: quum autem *Eratoſthenes* (narrante *Bulialdo*) Alexandriæ *Armillas* erexerit; *Spicæ* ♍ *Virginis* Declinationem, a *Timocharide* nobis proditam, iſtis Armillis fuiſſe obſervatam, veriſimile eſt: & quamvis illas fuiſſe συμμετρὰς ἐν μεγέθει *Mediocris Menſuræ* aſſerit *Ptolemæus*, nihil tamen de illarum Diametris ullibi tradidit.

Proclus autem *in ſua Hypotypoſi Aſtronom.* Cap. 2do Inſtrumentum hoc Armillare ad ſumendam *Tropicorum* Diſtantiam deſcribens, illud Magnitudinis Mediocris neceſſarió eſſe ait, uti poſtea verbis diſertioribus, *habens Diametrum haud quaquam Minorem Dimidio Ulnæ Magnitudine, ut ſit ſectionum ex Centro ferme* 60, *atque Craſſitudo ipſius ſit talium ſectionum quatuor, Latitudo autem Duarum & Dimidiæ*, id eſt, ejus Diametrum non eſſe Ulnæ Dimidio Minorem aſſeruit: quænam veró fuit inter *Procli* Ulnas noſtraſque Analogia, nobis eſt incompertum; ideoque in explorando Inſtrumenti iſtius *Diametro* adhuc deficimus, eâdem licet Phraſi cum *Ptolemæo* utatur *Proclus*, illumque etiam *Diametrum* Mediocris Menſuræ neceſſarió eſſe affirmet.

ſecundum *Georgii Vallæ* verſionem

Si Ωλένη *Ulna* Diſtantiam inter Digitorum Summitates, Brachiis ad Amuſſim extenſis, æquaret; tum Ejuſdem Dimidium (ſive Armillarum *Diameter*) tripedale fuit, earumque *Semidiametri* noſtrorum Pollicum octodecim comprehendebant: atque hac Ratione Gradus unuſquiſque in *Armillas* exaratus, facili Negotio in ſex partes, vel ſexies Minuta decem, fuit dividendus, imó reapſé diviſus: aut *Solis Siderumque* Declinationem ad dimidiam uſque Diviſionem, ſive ad *Quinque Minuta*, fortaſſis concluderent ſive determinarent; quâ Diviſione, quarumvis *Fixarum* Longitudines aut Latitudines in *Hipparchi* ac *Ptolemæi* Catalogis, nunquam comperio præciſiús notatas. Hæc 5 *Minutorum* Diviſio omnium videtur accuratiſſima, quam Veteres hoc Inſtrumento ſibi aſſumere poterant; cujus Adminiculo *Eratoſthenes* Spatium delineaverat inter *Tropicos*, undecim talibus partibus conſtans Circuli, cujus περιφέρεια talibus partibus 83 conſtabat: unde *Eclipticæ* Obliquitas comperta eſt 23° 51′ 20″ cui ſuffragantur & *Hipparchus* & *Ptolemæus*. Quamvis autem ad *Eclipticæ* Obliquitatem decernendam *Armillis* ſuis

utrique

utrique hi magni Viri adquiescerent; ad *Lunæ* tamen *Parallaxes* definiendas, utpote Inventu difficiliores & accuratiús peragendas, utebatur *Ptolemæus* Regulis *Parallacticis*, quarum *Radium* 4 Cubitorum vel 6 Pedum esse describit.

Lib. V. Cap. 12.

Armillæ Regulæque *Parallacticæ* ARABIBUS non erant ignotæ, qui etiam *Quadrantes* Radiorum ampliorum & *Sextantes* fabricati sunt: ut *Cl. Viri* Doctoris *Bernard* Narratione, de *Eclipticæ* Obliquitate ab *Arabibus* diversorum Seculorum determinatâ, nobis liquidó constat; qui etiam vivâ voce mihi ipsi narravit, Eorum Quendam instituisse *Comparationem* scriptam suorum Instrumentorum cum *Istis* Veterum; ut inde *Arabum* Observationes Istis *Græcorum* esse Accuratiores probaret: Quando veró ille Tractatus a quodam Linguæ *Arabicæ* & hujusce Argumenti gnaro eventilabitur, istarum Observationum Ratio magis enucleata nobis est expectanda.

Epistolâ ad me missa, & in *Phil. Transf.* impressa. N° 163.

Ptolemæus (Lib. III. Cap. 2.) Tempora nobis tradit Æquinoctiorum *Autumnalium* quinque, ac trium *Vernalium*, ab *Hipparcho* observata; qui *primum Vernale* hisce verbis graphice depinxit, *viz.* Ἐν μεν τῳ λ̄ β̄ ῳ ἔτει της τρίτης κατα Κάλιππον περιόδου, Μεχὲρ κζ̄ πρωΐας, καὶ ὁ Κρίκος δὲ φησιν ὁ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἴσον ἐξ ἑκατέρου μέρους παρηυγάσθη περὶ ε̄ την ὥραν, *&c. Anno* 32do *Tertiæ secundum* Calippum *Periodi, Mensis* Mechir *die* 27mo *aiunt, Armillam in* Alexandria *erectam, utrinque, sive ambobus Lateribus, æqualiter fuisse collustratam, Temporis Matutini horâ* 5ta, &c. Exinde autem idem *Æquinoctium* per quinque plús minús horas diversimodé fuisse Observatum videtur in *eâdem* Armillâ. Eodem Capite, Armillas ad errandum proclives esse ad usque Diei Quadrantem, in aptandis & *Solstitiorum* & *Æquinoctiorum* Temporibus, fatetur; additque paucis ab hinc Lineis, Hunc *Armillarum* Errorem Ortum ducere a graduali Deflectione sive Distortione imperceptâ Planitiei Circuli istius qui Circulum Æquinoctionalem in Armillis adumbrat; “ sicut in *duabus* “ Armillis æneis apud nos in Palestra Alexandrina suspensis, “ videre est, maximé veró in istâ Ampliori & Antiquiori “ Armilla; in qua tanta fuit *Plani Deflectio*, ut *nonnunquam* “ *etiam bis (uno eodemque Die) in eisdem Equinoctiis ipsarum* “ *Superficies Cavæ sive Cavitatis* (vel interior Annuli Superfi- “ cies) *illuminatæ sint Æqualiter*; ut supra innuimus.”

Refractionum

Refractionum Poteſtas illorum Temporum Hominibus fuit ignota: quum autem *Hipparchus*, æqué ac *Ptolemæus*, obſervârit Circuli Æquinoctialis *Cavitatem*, ſive Superficiem internam, bis uno eodemque Die fuiſſe æqualiter colluſtratam; Armillas a Poſiturâ ante Annos 280 ab *Hipparcho* ipſis datâ non deflexiſſe, vel diſtortas fuiſſe, contra *Ptolemæi* Opinionem concludere fas eſt; ac prætereá, ipſum *Ptolemæum* Armillæ, ſive Κρίκε ſui, Circulum Æquinoctialem variaſſe, ut nimirum *Poli* Elevatio fuerit adaucta & ſuæ *Æquinoctialis* Elevatio imminuta, quaſi unius Gradus Dimidio, ſive 30 Minutis, plús quám erat ab *Hipparcho* relicta: quâ Variatione Declinatio *Spicæ Virginis Ptolemæo* viſa foret quaſi 30 Minutis minor quám revera fuit, & fieri debuit; ſicut *Timocharidis* Obſervationem cum iſta *Ptolemæi*, illâque Declinatione ab Eximio & Nobili *Tychone* nobiſque notatâ, conferendo, plené ac plané a Nobis eſt repertum.

Hæc mea Opinio fulciri videtur, per Tempora *Æquinoctiorum*, Autumnalium ab illo obſervata, *Unum viz.* 7mo Die Menſis Ægyptiaci *Athyr*, horâ 2da pomeridianâ, Anno *Nabonaſſari* 880, & *Æræ Chriſtianæ* circiter 133; atque *Alterum* Anno *Nabonaſſari* 887, ejuſdem Menſis *Athyr* die nono, horâ quintâ antemeridianâ. Nam ſi idem *Locus* ad iſta Tempora ſupputetur ex Tabulis *Solaribus*, quæ *Hipparchi*, *Bernardi Walteri*, *Tychonis*, noſtrorumque *Recentiorum* Obſervationem optimé exhibeant (qui *Locus*, idcirco, *Ptolemæi* diebus, a Vero non multúm diſtabat) inde experiemur *Solem* fuiſſe in ♎ 01° 18′ 00″ quum primum prædictum *Æquinoctium* Autumnale notatum ponit; ac Tempore ſecundi, *Solem* verſari in ♎ 01° 14′ 00″. Adeo ut manifeſtó apparet, in utroque hoc obſervato *Autumnali* Æquinoctio, *Solem* verſús Meridiem per 30′ circiter Minuta declinaſſe, dum *Ptolemæo* nulla fuit *Solis Declinatio*; & quod ille *Polum* in Armillis erexerat, ut Errorem caſtigaret quem, ſine Cauſa, factum fuiſſe ſuſpicaverat ex *Armillarum Deflexurâ*, ſive Diſtortione, a *Poſitione* quam initio Illis dederat *Hipparchus*: atque hoc magis videtur probabile, quod per Declinationem *Spicæ* ♍ ab illo obſervatam, Idem fuerit antea exploratum.

In *vernali* autem ſuo Æquinoctio, eodem *Nabonaſſari* Anno 887 (Anno Domini circiter 140) Menſis *Pachon* die 7mo Horâ unâ pomeridianâ obſervato, præfatæ *Tabulæ* Solares *Solis Locum*

F in

in ♓ 29° 49′ 00″, five Solis *Declinationem* quatuor tantum ad Meridiem Minutorum, & quám proximé ad Tabulas accommodatam, præbent: Quod Sufpicioni Locum dat, hoc *Æquinoctium vernale* non per *Armillas*, five fuum Κρίκον, a *Ptolemæo* fuiffe obfervatum, fed fubductum tantúm ex Meridionalibus *Solis* in τῷ Zenith *Distantiis*, notatis per fuas Regulas *Parallacticas* in quatuor Cubitos productas, quibus ad majorem ἀκρίβειαν ufus eft, quum *Lunam* in Circulo notavit *Meridiano*. Atque hanc effe Rationem proximioris Congruentiæ inter hoc notatum *vernale* Æquinoctium ac Tabulas *Solares* prædictas, conjicio; dum *duo ifta* alia Æquinoctia tám enormiter ab *illis* difcrepant Tabulis: eft equidem hæc mera mea *Conjectura*, pro qua non eft litigandum, fed tantúm donec Nonnullus, æqué expertus & candidus, hanc meam caftigârit, vel Opinionem fit impertitus verifimiliorem.

Lib. II. Cap. 41. PLINIUS, *Trajani* Imperatoris Tempore clarus, ante *Ptolemæum* Annis quafi 40, nobis narrat, Philofophos tunc Temporis *Loca* notaffe *Fixarum* Stellarum 1600 in Conftellationibus 72. *Ptolemæus* autem nobis prodit Loca tantúm *Fixarum* 1022 in Conftellationibus 48. Quum autem PLINIUS *Hipparchum* magnis prædicet Laudibus, illumque, fuo Teftamento, fuum *Fixarum Catalogum* Pofteris legaffe dicat; procúl Dubio fequetur, tám *Conftellationum* in ifto Catalogo, quám *Fixarum* in unaquaque Conftellatione Numerum, *Plinio* non fuiffe incompertum.

In ARABUM *Catalogis* idem eft tum Conftellationum tum Fixarum *Numerus*, ac in *Ptolemæi* Catalogo, repertus *viz.* 1022 *Fixarum* in 48 *Conftellationibus*: atque apud me Domi funt Figuræ *Atlantis*, Globum Cœleftem in Humeros geftantis, in quo *idem* Conftelationum *Numerus*, ac in *Ptolemæi* Catalogo, infcriptus eft; Clariffimus autem Dominus *Bilanchini*, qui me hoc *Atlante* donavit, illum fuiffe fabricatum opinatur *Ptolemæi* diebus, & fub ANTONINORUM Imperio, in quorum *Nummos* illum fignatum fuiffe dicit. Si autem *Romanis* fuerint tantúm Conftellationes 48, ac in iifdem *Stellæ Fixæ* 1022 tantúm difponantur; ubi, quæfo, reliquæ 24 Conftellationes, Stellæque ampliús 578, a *Plinio*, Annos circiter 35, vel ad fummum 42 tantúm (forfitan primo *Trajani* Anno) ante hác memoratæ, deprehendantur? Noftris equidém ANTIQUARIIS, five Rerum *Antiquarum* viris peritiffimis,

magnoperé

magnoperé devincti erimus, si hac de Re certiores nos facere possint.

Ptolemæus, æqué ac *Plinius*, HIPPARCHUM magno celebrat Encomio, eum φιλαλήθην, ac Assiduitate delectatum, nuncupans, atque Stellas *Fixas* per Annos 265 ab *Hipparchi* diebus ad sua usque Tempora interlapsos, 02° 40′ 00″ antrorsúm fuisse exagitatas; id est, Earum *Motum* per centum Annos ex uno integro Gradu constare; Earum autem *Latitudines* fuisse invariabiles, serió certat. Veruntamen, se operam navâsse in observandis omnibus hujus *Catalogi* Stellis, aut *Semetipsum* omnium in eodem Catalogo Stellarum *Loca* propriis deduxisse Observationibus, nullibi affirmat: ideoque *Ptolemæi* Catalogum *eundem* esse ab *Hipparcho* Posteris literatis legatum, ab ipso *Ptolemæo* ad sua Tempora (Annum *Antonini Pii* circiter primum vel tertium) reductum & adaptatum; addendo, scilicet, in *Hipparchi* Longitudines 02° 40′ 00″, ejusque transcribendo Latitudines immotas vel immutatas, perquám videtur probabile.

Timocharidis enim & *Hipparchi* Observationibus collatis cum istis Nobilissimi *Tychonis*, *Hevelii*, *nostrisque*, FIXARUM Motus, spatio Annorum 265 reperitur fore 03°, 40′, 50″, idest, Gradu integro major quám a *Ptolemæo* fuit decisus: idcirco Earum *Longitudines* in ejus *Catalogo*, supra *Locum* ab illo datum, uno Gradu sunt promovendæ; atque subtrahendo 02° 40′ 00″ ab ejus *Longitudinibus*, in Locum Numerumve suum *Hipparchi* Tempore primigenium, facilé reducentur. Sed né diutiús *Armillis Ptolemaicis* immoremur, Nullus dubito eas fuisse ejusdem Amplitudinis ac fuêre Instrumenta ad notandam *Eclipticæ* Obliquitatem depicta graphicé a *Proclo*, nobis narrante; Quod "Si Distantia inter sui Circuli *Centrum* & "*Limbi* Περιφέρειαν extremam, in 60 Partes æquales "fuerit intersecta; Tunc a *Centro* ad ejusdem Circulum *interiorem*, tales Partes 56 contineri oportet; id est, *Limbi* Latitudo quatuor Gradibus, ejusque *Densitas* duobus Gradibus "ac Triginta Minutis fuerint æquales.

Ὑποτυπώσεως Lib. II. supra memorato

Duplicem Methodum quâ Veteres *Fixarum* collegerunt *Loca*, UNAM, nempé, ex Observationibus in *Armillas* peractis, ALTERAMQUE ex *Lunæ* ad *Fixas* Applicatione, nobis monstrat *Ptolemæus*; ubi suas Tabulas, tám *Solis* quám *Lunæ* Loca Cœlestibus Earum *Locis* conformia,

Lib. VII. Cap. 2.

præbere

præbere opinatur; quanquám eas Tabulas non ita præbuiſſe iſta Loca certiſſimum eſt: Maximam enim *Orbitæ Solaris* Æquationem 24′, circiter, Minutis majorem facit quam fuit ab ALBATANIO (ſive *Albategnio*) poſt Annos 750 defixa, ac inſuper Seculorum præſentis nempé, & proximo-præcedentis Obſervationibus adinventa; atque ex nuperorum *Aſtronomorum* hac de Re Conſenſu, cum *Albatanio*, Annis retró 800, apud *Muhammedanos* Obſervatore Clariſſimo, (regnante *Alfredo* Magno *Angliæ* Rege) firmiter eſt arguendum, ORBITÆ TERRENÆ *Excentricitatem ab* Hipparchi *diebus ad noſtra uſque Tempora, Eandem ſemper perſtitiſſe ac invariabilem.*

Ptolemæus (Capite ſupra dicto) *Hipparchum*, ad Fixarum Loca determinanda, Obſervationibus, durante Lunarium Eclipſium Tempore, peractis, uſum fuiſſe, obſcuré indicat: atque hoc optimé fuit excogitatum & permagno illo Veritatis Amatore dignum, qui *Lunarium* Eclipſium ſuo Tempore vel anteá eventarum Obſervationes comparando, *Orbitæ Lunaris* PRIMAM (uti illam nuncupat *Ptolemæus*) *Inæqualitatem* inveſtigaverat: SECUNDA veró a *Ptolemæo* aliiſque poſtea determinatâ Inæqualitate, ac TERTIA quoque a *Tychone* inventâ, tunc Temporis *Hipparcho* plané incompertis, hæc ejus imperfecta *Methodus* tutó nunquam uſui Aſtronomico potuit adhiberi. In *veteres* autem *Philoſophos* acerbé invehi non noſtrum eſt; Quibus, quippé, pro præviis Eorum Conatibus, penitús obligati ſumus: ſed potiús nobis eſt agnoſcendum, Eorum operationes & Præſtationes haud minus eximias fuiſſe ac ſpecioſas, quám ASTRONOMIÆ *Infantia* ſuppeditare valuit; Eorumque *clariſſima Nomina*, hic aut ubivis Gentium, omniumque Seculorum *Viris eruditis* grato animo traducere debemus, ob Eorum in Re Aſtronomicâ Succeſſus *Nobis* feliciter traductos.

Ptolemæi Methodus, ad vera *Fixarum* Loca inveſtiganda, meliús eſt ſubintelligenda, per Specimen a Seipſo propoſitum, *Antonini Pii* Anno 2do, Menſis τȣ *Pharmuthi* Die nono, pauló ante SOLIS Occaſum, & quum *Tauri* Pars poſterior in *Meridiano* fuit conſpecta; id eſt, Horis æquabilibus 5 pomeridianis & *Sole* per tres *Piſcium* ♓ Gradus tunc præterlato; " Apud *Alexandriam inquit*, obſervavimus *Lunam* a *Sole* " diſſitam *Gradibus* 92 $\frac{1}{8}$ in Longitudine: atque Semihorâ " elapſâ, vel citó poſt *Solis Occaſum*, quum *Quarta*

" *Geminorum*

" *Geminorum* Pars esset *culminata*, sive Culmen suum pertin-
" geret (Circulo, in quo observabatur *Luna*, primam suam
" Positionem adhuc immobilem custodiente) tunc STELLA in
" *Corde Leonis* in altero mobili *Longitudinis* Circulo conspecta,
" *Gradibus* constare $57\frac{1}{6}$ in *Lunæ Consequentia* & in *Longitu-*
" *dine* investigabatur. In primâ autem Observatione

— " *Sol* versabatur in signo ♓ ——————— 03° 03′ $\frac{1}{20}$,
— " *Sol* distabat a *Luna* tunc in *Longitudine*
" ac in *Consequentia* ——————— } 92, 07 $\frac{1}{8}$,
— " Ideoque *Lunæ* Locus visibilis in ♊ ——— 05, 10 $\frac{1}{6}$,
— " *Lunæque* Motus per unam Semihoram
" in *Consequentia* ——————— } 00, 15, 15″
— " Ejusque *Parallaxis* augescens in *Antecedentia* 00, 05,
— " Quapropter *Lunæ* Locus visibilis horâ 6ta
" pomeridianâ in ♊ fuit ——————— } 05, 20, 20″.
— " Atque *Cor Leonis* in *Lunæ Consequentia* 57, 10,
— " Adeo ut *Locus* in *Corde Leonis* tunc fuit ♌ 02, 30, id est,

sicut ille suputat 02°, 40′, in *Consequentia* Loci in *Hipparchi* Catalogo huic Stellæ adsignati: additque, porró, LUNÆ *Locum per suam Observationem repertum, eundem esse in suâ Hypothesi* (sive suis Tabulis) *proditum*. Hîc tamen Nobis est animadvertendum, quód hac Observatione sub Solis Occasum peractâ, *Refractio* illum, nempé *Solem*, unum circiter Semigradum elevavit, & *Longitudinum* Differentiam supra $\frac{1}{3}$ tertiam *Gradûs* partem plus justo præbuit.

Hipparchus & *Ptolemæus* has Refractiones non percipientes, exindé forsitan maximas *Orbitæ Solaris* Æquationes, uno fermé *Semigradu* majores notarûnt quám reverá sunt, semperque fuerunt: *Solis* enim a *Polo* visibili *Distantiæ* Refractionibus erant diminutæ; ac proindé ejus *Longitudines*, quum ex ♓ in ♈ transiret, majores comparebant & minores in ejus Transitu ex ♍ in ♎, tantó propemodúm quó maximas *Æquationes* Majores & ulteriús Justo notarunt: atque hoc modo *Phænomeni* istius Rationem reddiderunt *Veteres*, suasque Tabulas & Observationes concordatas fecerunt.

Has Observationes *Horizontales* magis explorandas fuisse ac indubias, forté duxerunt, illisque impensiús nixi sunt; quià *Solem Occidentem* nudis oculis per Lumina *nuda* in *Armillas* fixa adspicere potuerunt, quod, *Sole* plus 5 Gradibus supra *Horizontem* extante fieri nequivit. *Horizontalis Refractio* forsitan Ansam præbuit

Eratosthenis, Hipparcho, ac *Ptolemæo* ad maximam Solis Declinationem determinandam fore 23°, 51′, vel circá 20′ plús minúsve quám reverá fuit unquam. Nam si *Solem orientem* vel *occidentem* per nuda *Armillarum* Lumina, Solstitii *Æstivi* Tempore, sint contuiti; & si Refractio *Horizontalis* supponetur fuisse circá 33 *Minutorum* (sicut apud nos Jám invenitur) tunc *Refractio* in Declinatione 20 foret *Minutorum,* & maxima *Declinatio* foret 23°, 31′, vel duobus circiter Minutis Amplior quám a nobis jam supputatur.

Si Veteres autem isti Solis *orientis* vel *occidentis,* & in signum *Capricorni* intrantis, Declinationem Armillis suis observassent, maximam ejus Declinationem versús Meridiem fore tantúm 23°, 09′, plané invenissent: eâdem de Causâ, Refractiones Ansam Veteribus præbuisse maximam Solis Declinationem determinandi 20′ *Minutorum* plús Vero fuisse, fidenter asserere nequeo; quanquam Suspicioni sit Locus, præsertim ob diversas maximarum Solarium apud eos Declinationum Determinationes. Atque hæ Armillæ a proximo-sequentibus in *Arabia* Observatoribus neglectæ jacebant; *Arabes* enim Regulis Parallacticis *Ptolemaicis,* suisque inventis Sextantibus & Quadrantibus tantúm, non veró istis Armillis, Observationes suas fecisse legimus.

Arabes primó Solarium Motuum Tabulas emendare, ideoque veram *Eclipticæ* Obliquitatem invenire, conati sunt: Eorumque Determinationes secundúm Tempora successivas describam; quibus Lectori liquidó constabit, quód etiamsi ab Antecessorum Determinationibus ægré aberrarûnt, gradatim tamen *Veritas* prævaluit, ac demúm in eâdem *Quantitate* hujus & Nuperorum seculorum Observationibus inventâ, fuit stabilita.

ALMAMON BABYLONIÆ *Caliphus,* qui *Ptolemæi* Almagestum in Linguam *Arabicam* traduci jussit, Anno nempe

Hegiræ 205 } LUDOVICO *Pio* Romanorum *Imperatore* & EGBERTO totius *Angliæ*
Æræ Chr 827 } *Rege* primo, regnantibus;

In *Bernardi* ad me Epistola. *Phil. Transf.* N° 163 *Septembris* 20. Anno 1684 pagina 723 & 724.

Hegiræ 210 } a Regulis, inquam, *Ptolemaicis*
Æræ Chr. 832 } primus dicitur *Almamon* aberrasse, ac Instrumento nobis adhuc ignoto SOLIS Declinationem, sive ZODIACI maximam *Obliquitatem* invenit 23°, 35, 00″

		Quæ etiam obſervata fuit a JAHIA EBN ABIMANSUR aliiſque *Almamonis* Tempore Aſtronomis. Eodemque ÆVO	
		BENI MUSA, apud BAGDAT in Campis, *illam* reperit etiam ——	23°, 35′, 00″
Hegiræ *Æræ Chr.*	269 891	MAHOMMED EBN GABER (vulgo *Al Bategnius* vel *Al Batanius*) longiſſimâ ALHIDADA, ſive Regulâ parallacticâ ad Formam *Ptolemaicarum* perlongâ, apud RACCAM in *Meſopotamia*, illam quoque a *Ptolemæi* Λοξῶσι diverſam 16′ invenit	23, 35, 00
Hegiræ *Æræ Chr.*	289 911	THABET EBN CORRA illam reperit a *Ptolemæi* Declinatione diverſam 18′, 30″	23, 33, 30
Hegiræ *Æræ Chr.*	348 970	ABU JAAFAR AL CHAZZAN, apud EDESSAM, ejuſque Amicus ABUL FADLO, Iſtam non penitus fuiſſe ——————————	23, 35, 00
		ſed aliquantó minorem, Judicarûnt	
Hegiræ *Æræ Chr.*	377 999	ABUL WAFI AL BUZIANI & ABN HAMED *Saganienſis*, magni Ingenii vir, apud BAGDAT Λοξωσιν invenerunt tantum non————	23, 35, 00
		Sicut etiam obſervatur ab ABUL HOSEIN EBN SUPHI, & ab Auctore *Perſâ* Anonymo, & in Tabulis *Perſicis* Chryſococcis	
Hegiræ *Æræ Chr.*	382 1004	ABU MAHMUD AL CHOGANDI, tempore FECRODDAULÆ, *Sextante*, cujus *Radius* erat Cubitorum quadraginta, *Limbuſque* in Minuta ſecunda diſtinctus, Λοξωσιν invenit minorem quám unquam captaverat Majorum ſuorum Aliquis, nimirum a *Ptolemæi* Λοξωσι diverſam 18′, 39″. ————————	23, 32, 21

Anno		Observatio	Obliquitas
Hegiræ *Æræ Chr.*	385 1007	AL BATRUNIUS ABUL RIHAN, usus est *Quadrante* cum *Radio* quindecim Cubitorum, & Λοξωσιν observavit fuisse ad summum ——	23°, 35′, 00″
Hegiræ *Æræ Chr.*	482 1104	ARZACHEL *Hispanus* Λοξωσιν proposuit & sic inter *Ptolemæi* & *Artzachelis* Λοξωσιν Differentia etiam intercedit 18′ 30″.	23, 33, 30
Hegiræ *Æræ Chr.*	518 1140	ALMÆON *F. Almansoris* illam quoque invenit ——	23, 33, 30
Hegiræ *Æræ Chr.*	552 1174	*Rabbi* MOYSES BEN MAIMON *Judæorum* eruditissimus (vulgó MAIMOINDES) in *Jad: de Consecratione Calendarum*, Maximam *Zodiaci* Obliquitatem asserit propemodum	23, 30, 00
Hegiræ *Æræ Chr.*	668 1290	Sed COJAH NASSSIR ODDIN, Nobilis *Persa Tusensis*, apud MARAGAM accuratissimé *istam* observavit fuisse ——	23, 30, 00
		Minima quidem ex Maximis *Solis* Declinationibus reperta, & a *Ptolemæi* Declinatione diversa 21′.	
Hegiræ *Æræ Chr.*	678 1300	PROPHATIUS JUDÆUS illam reperit a *Ptolemæi* Λοξωσι diversam 19′	23, 32, 00
Hegiræ *Æræ Chr.*	711 1333	ISMAEL ABULFEDA *Hamæ* Princeps in Tabulis suis MSS *Arabicis*, forté ob *Almamonis* auctoritatem, retinet *istam* esse ——	23, 35, 00
Hegiræ *Æræ Chr.*	741 1363	EBN SHATIR *Damascenus* se *Obliquitatem* emendâsse dicit, *Solis* etiam *Parallaxi* (quæ *Horizontalis* capta est 02′, 59″) non neglectâ; atque *Declinationem* Solis maximam computat esse ——	23, 31, 00
		a *Ptolemæi* obliquitate divesam 21′.	

Hegiræ

Hegiræ 841 } Oleg Beg (vel *Bieg*) Princeps
Æra Chr. 1463 } *Tartarienſis*, Ali Cushgi, aliique *Aſtronomi*, ampliſſimis Inſtrumentis ſummâque Curâ, *Illam* exquiſitím invenerunt ——————— 23°, 30′, 17″.
a *Ptolemæi* Λοξωσι diverſam 20′ 43″.

Atque hic animadvertendum eſt, præfatum *Albategnium*, præter *Ecliptica* Obliquitatem, *Apogei* quoque *Solaris* Longitudinem ſuo Tempore determinaſſe ——— in ♊ 22°, 17′, 00″
Hegiræ 261 } & maximam *Terrenæ Orbitæ*
Æra Chr. 883 } Æquationem fore ——— 01, 59, 04

Annoque præcedenti

Hegiræ 260 } *Æquinoctii Autumnalis* Tem-
Æra Chr. 883 } pus, per *Solis* Altitudines *Meridionales*, Regulis ſuis *Parallacticis* obſervatas, fixum habuit *Albategnius*, 8vo Die Menſis τȣ *Pachon* (Anno circiter 1206 poſt *Alexandri Magni* Obitum) ad 4^h, 45′, ante *Solis* Ortum apud *Aractam*; id eſt, 7mo Die τȣ *Pachon* (ſive 18vo noſtri *Septembris*) ad 13^h, 15′, P. M. *ibidem*, vel ad 10^h, 30′, apud *Greenwich*; ſi nempé *Meridianorum* Differentia inter Urbem *Raccam* noſtrumque *Obſervatorium* ſupponetur fore 2^h, 45′.

In Libro ſuo *de Scientia Stellarum*, Cap. 27 & 28.

Parallaxin Solis *horizontalem* in ejus infimâ Diſtantiâ fuiſſe 3′, poſt *Ptolemæum* opinatus eſt *Albategnius*: Sin autem ſuas obſervatas Solis *Altitudines* per *Parallaxin* in *Solis* Auſtralibus Altitudinibus ſive *Meridionalibus* ſuppoſitam (quam 1′, 45″ computavit, quum tamen 8″ tantúm fuit) caſtigandas habuerit; ſequetur, hunc Aſtronomum computaſſe *Æquinoctium* unâ Horâ & fermé Horæ ¾ plus Juſto præmaturum: Quum antem ex ejus hac de Re Scriptis non plané conſtet utrúm *Parallaxin* conſideraverit vel non; *Tempus* illud, ut ab *Eo* traditum, pro Vero accipere Nobis incumbit: atque tunc Solis *Loco* ſecundum Tabulas meas, ad *Albategnii* datum *Tempus* computato, illum *Locum* fuiſſe reperio in ♎ 3′ 10″

Albategnius, porró, ſe accuratis multorum Annorum Obſervationibus, quâ potuit Diligentiâ, *Tempus* ab Æquinoctio *Autumnali* ad proxime-ſequens *Vernale*, inveniſſe dicit propemodum ——————— Dies 178, Horaſque 14 ¼
Sed a *Vernali* ad *Autumnale* fuiſſe — Dies 186, Horaſque 14 ¾

H unde

unde Æquinoctiorum *Vernalium* proximé-præcedentium & ſubſequentium *Tempora* (cum Solis *Locis* ad *Tempora* computatis) erunt reperta, ſcilicet,

Anno *Hegiræ*——26c, *Æræ Chr.*—882	die *Martii* 15	$19^h\ 45'$	Solis *Locus* in ♓ 29°, 57′, 54″
& *Hegiræ*——261, *Æræ Chr.*—883	*Martii* 16	1^h —	Solis *Locus* in ♓ 29°, 56′, 38″

Horum Æquinoctiorum *Tempus* per Dierum naturalium Æquationes non caſtigavi; quanquam per talem Caſtigationem noſtræ Tabulæ Solis *Loca* Punctis Æquinoctialibus 20″ darent proximiora: eſt enim *Temporis* Quantitas non multúm conſideranda.

Hinc noſtras Tabulas *Solares*, Solis *Locis*, per octingentos hactenus obſervatis Annos, ſat bené quadrare, meridianâ Luce patet: ideoque non mirum eſt *Noſtras* differe a *Ptolemaicis* Tabulis per *Eratoſthenis* Armillas exaratis; quarum *Armillarum* Poſitio primigenia, veriſimile eſt, a *Ptolemæo* depravata fuit, quum Iſtas caſtigare decrevit, & quas a ſe reverá fuiſſe caſtigatas forſán eſt arbitratus.

Cap. LI. *Albategnius* etiam Nos facit certiores, quód ſua *Fixarum* Loca cum Iſtis a *Ptolemæo*, ante Annos 783 obſervatis, comparando, *Loca* per iſtos Annos invenerit proceſſa —————— 11°, 50′, 00″.

Ideoque illorum Locorum *Motum* per Annos 66, fuiſſe dicit——————	1, 00, 00
Quum tamen *Ptolemæus* eorum Motum per 100 Annos fecerit tantúm ——————	1, 00, 00
Ptolemæum autem *Hipparchi* Catalogum tranſcripſiſſe, in quo *Fixarum* Loca, ulteriús Juſto per unum quaſi Gradum fuerunt retropoſita, hactenús reddidi probabile. Atque hoc in Caſu, *Fixarum* Motus a *Ptolemæo* ad *Albategnium* uſque, in Annis nempé *Ægyptiacis* 783 tantúm foret ——————	10, 50, 00
Sive in Annis *Julianis* 72 ½ tantúm foret——————	1, 00, 00
Id eſt, ſecundúm noſtrum Calculum hodiernum, quovis Anno foret——————	0, 00, 50

Omnium etiam *Planetarum* infimos Motus notatos correxit,

novaſque

novaſque pertexuit *Tabulas Aſtronomicas* ad computanda Planetarum *Loca*; ſicut in ejuſdem *Libro* ſupradicto (de *Stellarum Scientiâ*) videre licet, cujus videantur Exemplaria in Academiarum *Bibliothecis* aliiſque, ubi Libri *Arabici* conſervantur.

Ab *Albategnio* ad Principis *Oleg Bieg* Tempora uſque, per Annos circiter 572, *Arabes* & *Hiſpani* in Tabulis fabricandis ad *Planetarum* Motus repreſentandos, maximé inſudarunt; in quibus *Albategnium* plerumqué ſequuti ſunt: Eorum tamen Quidam, *Fixarum* quarundam magis inſignium *Loca* ab ipſis emendata nobis tranſmiſerunt; Quorum Exemplaria quædam ab eruditiſſimo *Doctore* BERNARD in Epiſtola ad *Doctorem* HUNTINGDON collecta ſunt, e Quibus ſequentes parvos tranſcripſi *Catalogos*, vid. *Phil. Tran.* N° 158.

		Ex Codicibus Illuſtrium Virorum Savilii & Bodleii, quaſi pro An. Chr. 750. Longit. s ° ′	Latit. ° ′	*Ali Abolcaſimo Ann. Chr. 938.* Longit. s ° ′	Latit. ° ′	*Ex Canonibus Hacimicis Johannidæ Ægyptii Ann. Chr. 996.* Longit. s ° ′	Latit. ° ′	*Ex Perſicis Chryſococca Ann. Chr. 1115.* Longit. s ° ′	Latit. ° ′
1	Ultima fluvii	♈ 12 20		♈ 11 50	53 30	♈ 16 20	53 28	♈ 15 10	
2	Lucida Cathedræ Caſſiopeæ			20 20	51 45	24 34	51 50	22 50	
3	Perſei Caput Meduſæum	♉ 2 50		♉ 12 17	22 45	♉ 15 24	22 39	♉ 14 40	
4	Oculus Tauri Auſtrinus	19 50		24 35	5 15	29 7	5 15	27 0	
5	Orionis Pes ſiniſter			♊ 2 1	31 4	♊ 5 30	31 35	♊ 4 50	
6	Capella Aurigæ	♊ 2 10		6 49	22 50	11 32	22 3	10 50	
7	Orionis Humer. dext. *Nonnullis* hum. ſin. præced.	9 10		13 16	16 4	17 46	16 50	17 0	
8	Syrius	24 50		29 30	39 20			♋ 2 40	
9	Procyon	♋ 6 40		♋ 10 40	16 0	♋ 4 2	39 30	14 10	
10	Cor Leonis	♌ 9 39		♌ 14 40	0 15	15 52	16 2	♌ 17 30	
11	Spica Virginis	♎ 4 50		♎ 8 23	2 6	♌ 19 10	0 10	♎ 11 40	
12	Arcturus	♌ 4 10		8 50	31 12	♎ 12 58	2 10	12 0	
13	Antares	♏ 19 20		♏ 24 35	4 24	13 49	31 33	♏ 27 40	
14	Caput Ophiuchi	0		♐ 6 53	36 0	♏ 29 9	4 25	0	
15	Lucida Lyræ Vultur cadens	♐ 24 0		♑ 0 40	61 45	♐ 11 34	35 59	♑ 2 20	
16	Aquilæ lucida Vultur volans	♎ 15 0		15 53	29 12	♑ 5 0	61 55	18 50	
17	Lucida in Cauda Cygni	0		♒ 20 4	59 36	20 34	29 10	♒ 24 10	
18	Lucida in Crure dext. Pegaſi	0		♓ 14 0	31 10	♒ 23 31	59 38	♓ 17 10	
19	Alæ Pegaſi Ultima	0				♓ 18 44	31 12	27 10	
20	Perſei Lucidum Latus	0		♉ 16 15	30 8			♉ 19 50	
21	Cauda Leonis	♍ 1 45		♍ 6 40	11 50			0	
22	Os Piſcis Auſtralis							♒ 22 0	
23	Canopus							♊ 2 10	

		Choagæ Naſſirodino Tuſio in Tabulis Ilchanicis Ann. Chr. 1233.		*Abdolgalilo Segazio in Genethliacis Ann. Chr.* 1261.		*Ex Canonibus Perſarum Pembrochianis Ann. Chr.* 1346. Melixæ 338.		*Ex Codice Arnoldino apud Gaſſendum pro Ann. Chr.* 1364.	
		Longit. s ° ′	*Latit.* ° ′	*Longit.* s ° ′	*Latit.* ° ′	*Longit.* s ° ′	*Latit.* ° ′	*Longit.* s ° ′	*Latit.* ° ′
1	Ultima fluvii	♈24 55	51 45	♈ 6 45		♈ 0		♈18 20	
2	Lucida Cathedræ Caſſiopeæ	24 35	51 40	25 2		0			
3	Perſei Caput Meduſæum	♉16 25	23 0	♉16 52		18 10		♉17 45	
4	Oculus Tauri Auſtrinus	29 22	5 13	29 45		♊ 1 30		♊ 1 0	
5	Orionis Pes ſiniſter	♊ 6 35	31 30	♊ 6 52		8 20		8 0	
6	Capella Aurigæ	11 10	22 40	11 43		13 3		13 10	
7	Orionis Humer. dext. *Nonnullis* hum. ſin. præced.	18 0	16 50	19 12		20 30		18 10	
8	Syrius	♋ 3 50	39 10	♋ 4 28		18 0		♋ 6 0	
9	Procyon	15 45	16 5	16 11		18 0		17 20	
10	Cor Leonis	♌19 14	0 17	♌19 42		9 31		♌20 40	
11	Spica Virginis	♎13 25	1 52	♎13 26		15 10		♎15 0	
12	Arcturus	13 0	31 25	13 47		15 30		14 10	
13	Antares	♏29 0	4 10	♏29 45		♐ 1 10		♐27 40	
14	Caput Ophiuchi	♐11 15	35 55	♐11 49		0		0	
15	Lucida Lyræ Vultur cadens	♑ 4 40	61 50	♑ 5 38		5 0		♍ 5 30	
16	Aquilæ lucida Vultur volans	20 40	29 15	20 56		22 20		22 0	
17	Lucida in Cauda Cygni	♒24 30	59 50	♒26 15		10 20		27 18	
18	Lucida in Crure dext. Pegaſi	♓18 44	31 12	♓18 58		20 40		♓20 20	
19	Alæ Pegaſi Ultima	18 55	31 1			0		0	
20	Perſei Lucidum Latus	♉21 35	30 0	♉22 2		0		0	
21	Cauda Leonis	♍11 55	11 50	♍11 38		♍13 0		♍12 40	
22	Os Piſcis Auſtralis	♒23 45	23 0	♒23 53		0		0	
23	Canopus	♋ 3 55	75 0	♋ 4 3		0		0	

		Sahebodino Alepenſi ad Ilchanicas pro Ann. Chr. 1436.		*Ex Sultanicis Ologbeci Ann. Chr.* 1437.		*Olaodino Sateridæ in Tabulis Damaſcenis Ann. Chr.* 1480.			*Mohammedi Tizinio Ann. Chr.* 1533.	
		Aſcenſ. ° ′	*Decli.* ° ′	*Longit.* s ° ′	*Latit.* ° ′	*Longit.* s ° ′	*Aſcenſ.* ° ′	*Decli.* ° ′	*Aſc.Rec* ° ′	*Decli.* ° ′
1	Ultima fluvii	132 10	41 30	♈15 40	53 45	♈20 34	129 30	17 0	130 17	41 0
2	Lucida Cathed Caſſiop.	84 2	55 45	28 1	50 48	18 16	83 50	55 50	86 55	56 41
3	Perſei Caput Meduſæum	127 44	39 4	♉18 54	22 0	♉20 4	127 55	38 50	130 14	39 43
4	Oculus Tauri Auſtrinus	150 40	15 20	♊ 2 31	5 15	3 4	149 50	15 0	153 0	15 43
5	Orionis Pes ſiniſter	162 20	9 20	9 25	31 18	0	167 50	5 10	163 43	9 13
6	Capella Aurigæ	158 30	44 43	14 43	22 42	♊15 24	157 40	44 40	161 39	45 0
7	Orion. Hum. dext. *Nonnul.* hum. ſin. præced.	171 55	6 15	21 13	16 43	22 24	170 10	6 10	173 15	6 28
8	Syrus	185 45	15 43	♋ 6 19	39 30	♌ 4 4	184 20	15 45	187 0	15 50
9	Procyon	197 25	6 7	18 22	16 0	19 44	196 20	6 30	199 0	6 5
10	Cor Leonis	234 0	15 10	♌22 13	0 9	24 44	233 30	15 5	236 0	14 8
11	Spica Virginis	283 40	7 30	♎16 10	2 9	♎16 30	283 20	7 30	285 36	8 29
12	Arcturus	297 39	33 8	16 31	31 18	17 24	297 0	23 30	299 0	22 14
13	Antares	331 0	24 12	♐ 2 16	4 30	♐ 3 4	322 0	24 15	330 57	22 42
14	Caput Ophiuchi	347 5	13 20	15 13	55 51	♑ 7 44	4 0	38 30	348 57	13 9
15	Lucid. Lyrœ Vult. cad.	38 32	4 20	♑ 8 19	62 0	24 14	20 0	7 5	38 37	5 29
16	Aquil. lucid. Vult. vol.	20 5	7 3	24 10	29 15		35 10	4 30	22 5	7 24
17	Lucid. in Cauda Cygni	36 20	43 15	♒28 46	59 42	♓22 34	68 20	24 0	36 40	43 50
18	Lucid. in Cru. dext. Peg.	68 50	24 30	♓21 37	30 51	♈ 2 34	85 5	11 30	71 0	25 16
19	Alæ Pegaſi Ultima	85 54	11 30	♈ 1 22	12 34		127 20	1 40	88 10	12 23
20	Perſei Lucidum Latus	130 20	47 11	♉25 7	29 21	♍14 54	259 5	18 10	133 46	47 52
21	Cauda Leonis	259 30	17 55	♍13 49	12 0	♒24 24			261 20	17 55
22	Os Piſcis Auſtralis	67 25	35 2	♒20 40	21 30		181 15	51 50	68 45	33 51
23	Canopus	183 20	5 25						183 40	51 35

Loca ab *Abderamen Alſuphi* data in hanc Synopſin non tranſcripſi; quippé *Ptolemæum* prorſús eſt ſequutus, fecitque ſuas Longitudines, addendo Longitudinibus *Ptolemaicis* 12° 42′, ſuaſque Latitudines Canonem *Ptolemaicam* fideliter exſcribendo.

Stellarum *Fixarum* Motus, per Annos 827 a *Ptolemæo* uſque ad *Abderamen* interlabentes, 11°, 29′, repertus eſt: *Ptolemæi* tamen *Locis* (ut ſuprá ſemél iterúmque monui) *uno* Gradu plus Juſto retropoſitis, ſuam Caſtigationem feciſſe debuit addendo Longitudinibus *Ptolemaicis* 12°, 29′, non veró 12°, 42′.

Ebnololami Loca non tranſcripſi; quoniam ejus Stellarum *Latitudines* ad iſtas τȣ *Abolchüſan* accuraté quadrant; ejus veró *Longitudines* vix *uno* Semigradu ſunt Minores Iſtis τȣ *Naſſir Oddin*, cujus *Loca* ſunt accommoda ad Annum nempé *Hegiræ* 611, & *Æræ Chr.* 1233: Et quum *Perſarum* Locis, ad Annum *Hegiræ* 493, & *Æræ Chr.* 1115 aptatis, provectiora ſint; concludendum eſt *Ebnololami* Longitudines Annum circiter *Hegiræ* 538, & *Æræ Chr.* 1160, vel 1170, & tunc *Hegiræ* 548, fuiſſe adaptatas; non veró ad Annum *Æræ Chr.* 960, & *Hegiræ* 338, ſicut a *Fratre* meo erudito & Fatofuncto (vel Tranſcriptoris vitio, vel ſuâ Allucinatione) diſponuntur.

Quum Stellarum itidém *Longitudines*, ſecundum Canones *Ilchanicos*, circiter Semigradum Iſtis *Ebnololami* tantúm provectiores, atque tantundem Iſtis τȣ *Naſſir Oddin* (in ejus Tabulis *Ilchanicis*) poſteriores ſint; Illas ad Annum *Æræ Chr.* 1200, & *Hegiræ* 578 plús minús fuiſſe collocatas, probabile videtur; non veró ad Annum *Æræ Chr.* 996, ſive *Hegiræ* 374, ſicut *Illas* ipſe collocavit. Stellarum *Longitudines* τȣ *Naſſir Oddin* quod attinet, Illarum Differentiæ ad Iſtas *Ptolemæi* tam exquiſité quadrant, ut ſi a *Ptolemæo* non ſit *Illas* mutuatus; ad *Illas* tamen in *Longitudinibus* Earum & *Latitudinibus* collocandis magnam videtur habuiſſe Rationem. Quanquám autem maximam Solis Declinationem determinando, Cœlorum Obſervatorem perquam ſolertem ſe exploratum habuit; in quibuſdam tamen *Determinationibus* devius eſt æqué ac *Ptolemæus*, & non æqué enucleatus ac certé fuit ejus Anteceſſor *Albuchaſin*, ejuſque Succeſſor *Oleg Bieg*.

Longitudinum in Fixis maximé conſpicuis Differentias, a Principe hoc *Tartarienſi* obſervatas ac determinatas, cum Iſtis *Ptolemæi*

 conferendo,

conferendo, parúm inter ſe diſcrepantes Ambas reperio, ejuſque *Latitudines* raró ab Iſtis τῶ *Abolchaſin* parúm diverſas: ſed ambas cum *Tychonis* ſeculo præcedenti, aut *Noſtratum* hoc ſeculo, Determinationibus comparando; certum eſt, quibuſcunque uſi ſint Mediis vel Inſtrumentis ad *Rectarum* Adſcentionum Differentias vel veras *Fixarum* Declinationes determinandas, in unius Gradus $\frac{1}{6}$ vel $\frac{1}{4}$ & interdum $\frac{1}{3}$ vel ampliús a Vero aberrare obnoxii fuere. Determinationes autem τῦ *Oleg Bieg* noſtras magis appropinquant.

Inter Annum {*Hegiræ* 278 & 678 / *Æræ Chr.* 900 & 1300} *Thebit Ebn Corrah*, *Arzahel*, *Alfraganus* & ALFONSUS *Arragoniæ* Rex, ad SOLIS & *Planetarum* Motus repreſentandos, *Tabulas* compoſuerunt Aſtronomicas; in quibus Tabulis, Eorum alii *Ptolemæum* in Determinationibus *præviis* alii *Albategnium*, ſunt ſequuti, & alii, miris Artificiis, ſuas *Determinationes* tum Iſtis *Ptolemæi*, tum *Albategnii* congruas componere conati ſunt: Eorum autem Nemo ſuas proprias *Obſervationes* notatu dignas Nobis tradiderunt.

{*Hegiræ* 827 / *Æræ Chr.* 1449} *Oleg Beg*, ætatis ſuæ Anno 58 interfectus eſt

In eâdem Annorum Centuriâ floruerunt REGIOMONTANUS ejuſque Diſcipulus *Bernardus* WALTHERUS atque Anno 1473 natus eſt *Nicolaus* COPERNICUS; Quorum ſinguli Rem Aſtronomicam multis provehebant Incrementis, ulteriús valdé quám Aſtronomorum Anteceſſorum Cuivis fuit cognitum.

Incipiunt *Regiomontani* Obſervationes Anno *Æræ Chr.* 1457, ac ad Annum 1474 producebantur; atque poſtquam ſingulari ſuâ in *Geometria* & *Mechanicis* Peritiâ, ad *Aſtronomiam* promovendam plura præſtitiſſet, quam ab iſtorum ſeculorum aliquo antea fuit peractum, Fatis conceſſit Anno 1476.

Bernardus WALTHERUS *Norimbergæ* in *Germania* Anno *Æræ Chr.* 1475, Obſervationes Aſtronomicas facere inſtituit, Regulis parallacticis *Ptolemaicis* quarum *Radius* quatuor erat *Cubitorum* ſive ſex *Pedum*, quibuſcum SOLIS a *Vertice* Diſtantiam crebró metiebatur per Annos viginti novem; ab Anno, ſcilicet, 1475 uſque ad *Junii* diem tertium Anni 1504. Itidem *Radio* ſive *Baculo* Aſtronomico (Anglicé *Foreſtaff*) inſtructus erat, quo *Planetarum* Diſtantias a Stellis *Fixis* per Annos tredecim ſæpé menſuratas habuit, ab Anno nempé, 1475 ad

Annum

Annum 1488. Quæ fuerat tamen *Baculi* ſui Longitudo, nos non docet; ſed *Schonerus* in deſcribendo tali Inſtrumento ac de Iſtius uſu Expemlum petens ex *Bernardi Walteri* Obſervationibus, (*pagina* 11.) Inſtrumentum illud deſcribendum, ipſiſſimum eſſe *Bernardi* Radium innuere videtur.

Radium, ſive *Baculum*, 6 Cubitis vel 9 Pedibus longum in 1300 Partes Æquales diviſum, Parteſque *tranſverſarias* Longitudine Æquales fore 100 *Baculi* Diviſionibus vel 200 vel 300, *&c.* duoſque *Acus* politos in ſingulis Partium tranſverſarum *Finibus* erigendos, unumque *Acum* in *Oculo* ſive *Centro* ponendum, poſtulat; *ubi tamen parvum in Lamella Foramen, ad removendam Oculi humani Excentricitatem aptius eſſet.* *Walterus* quidem in obſervandis hoc Inſtrumento *Diſtantiis* aſſiduus valdé videtur, cujus Obſervationes perutiles ſunt, quamvis tali ἀκριβεία peragi non potuerunt, quali fuere Obſervationes a *Tychone* ac *Hevelio*, ſextantibus ſuis *commodioribus*, peractæ:

Maximus autem Cœlorum Luſtrator quum eſſet, ac proindé ſui prædicti *Baculi* Vitio, ſive Defectu, ſibi ſat bené intellecto, *Armillam Ptolemaicis*, Armillis ſimillimam (ut conjectu facillimum eſt) ejuſdemque Magnitudinis, ſibi fabricavit; & poſtquam hâc uti cæperit Armillâ, Menſe nempé Septembris, Anno 1488, nullas ampliús *Diſtantiarum* Obſervationes ejus *Radio* ſive *Baculo* factas reperimus; atque *Diſtantias* ab illo obſervatas cum Iſtis *Tychonis*, *Hevelii* *Noſtriſque* conferendo, Eas quaſi quatuor & quandoqué quinque *Minutis* errantes deprehendimus: ejus autem *Menſuras* Armillis ſuis notatas quod attinet, liberrimé ſatis ac ingenué fatetur, dicendo, *ſed video quod præciſio Inſtrumenti captanda non eſt citrá* 10 *Minuta, aut circá.*

In Concluſione *Obſervationum* ſuarum ad 12 *Decemb.* 1503.

Etiamſi veró ejuſdem *Obſervationes*, ſuis *Radiis* & *Armillis* factæ, ita dubiæ ſint ac incertæ; *Iſtæ*, tamen, *Regulis* ſuis Parallacticis peractæ ſatis apparent accuratæ: Solis Igitur in τȣ *Zenith* ſive Vortice Diſtantias *Meridionales* ab *Illis* computando, *Norimbergæ* Civitatis Latitudinem, *Refractione* corrigendam, fixam habui 49°, 25′ $\frac{5}{6}$ & exinde *Solis Declinationes* atque *Loca* a Declinationibus derivata, determinavi; ſicut videre eſt in *Tabella* híc annexâ, uná cum *Solis* veris *Locis* (Temporibus iiſdem) ſecundum *Tabulas meas ſolares* exaratis. Unde ejuſdem *Diſtantias Verticales* (ſive ejus in τῳ *Zenith* Diſtantias) hiſce Regulis

gulis *parallacticis* obſervatas, rariſſimé duobus *Minutis* a Vero aberrare, *Soliſque Loca* ab *Illis* deducta, cum *Tabulis meis* plerumqué convenire, meridianâ patet Luce nam ubi *Tabulæ* aliquandó ſunt Tardiores, alibi ſunt tantó Velociores in eodem *Ecliptica* Loco; atque hoc nullum in Numeris Errorem arguit, ſed Obſervandi tantúm Difficultatem *nudis* in hocce Inſtrumento *Conſpiciliis* ſive abſqúe *Vitriolis* nondúm uſitatis. Quúm autem Errores raró 4 excedant *Minuta* & multó minús plerúmque; hinc *Numeros* iſtos *Bernardi Walteri* Obſervationes, noſtris quidem Obſervationibus (Annos quaſi 200) vetuſtiores, optimé repreſentare concludendum eſt: Quum etiam ejuſdem Obſervationes cum iſtis *Albategnii* (800 quaſi ab hinc Annos exaratis) ſat bené quadrantes, ſive congruas, ſuprá deprehendimus; *Eas* non manifeſtó aberrare poſſe in *Temporibus* Antiquarum Obſervationum a *Timocharide, Hipparcho* ac *Ptolemæo* Nobis legatarum ſive traductarum, certó eſt dicendum.

Noribergæ Latitudo ab Obſervationibus per Regulas parallactiacas deducta hab. & Refractionibus adhibitis correcta, eſt 49° 25′ 50″.

Annis.	*Menſ. Die.*		☉ *a Vert. obſervat.* ° ′ ″	☉ *Decl. corr. per Refract.* ° ′ ″	☉ *Loc. per Tabul.* s ° ′ ″	☉ *Loc. per Obſerv.* s ° ′ ″	*Diff.* ′ ″
1477	Martii	11	49 27 48	0 2 58 A	♓ 29 55 38	♓ 29 52 33	— 3 5
78		12	49 11 10	0 13 40 B	♈ 0 40 32	♈ 0 34 18	— 6 14
88		19	46 11 40	3 13 20	8 8 44	8 6 33	— 2 11
91		13	48 50 14	0 34 40	1 20 53	1 27 1	+ 6 8
1476	Sept.	13	49 17 26	0 7 28	♍ 29 37 43	♍ 29 41 16	+ 3 33
78		12	48 43 35	0 42 15	28 10 8	28 14 0	+ 3 52
79		12	48 34 0	0 50 55	27 58 49	27 52 10	— 4 39
88		11	48 31 44	0 53 11	27 46 31	27 46 16	— 0 15
89		11	48 26 10	0 58 46	27 32 28	27 30 55	— 1 33
91		15	49 49 0	0 24 6 A	♎ 1 0 30	♎ 1 0 19	— 0 11
93		13	49 14 24	0 10 30 B	♍ 29 33 39	♍ 29 30 41	— 2 58
94		13	49 8 44	0 16 10	29 16 23	29 19 26	+ 3 3
95		11	48 15 40	1 9 16	27 4 11	27 1 26	— 2 45
96		13	49 20 50	0 4 4	29 46 48	29 49 48	+ 3 0
98		11	48 21 42	1 3 14	27 21 55	27 20 17	— 1 38
1501		12	48 52 16	0 32 38	28 35 20	28 38 5	+ 2 45
1475	Julii	26	32 1 8	17 24 13	♌ 11 19 37	♌ 11 21 17	+ 1 40
75		28	32 31 40	16 53 41	13 14 50	13 10 20	— 3 30
75	Aug.	2	33 58 32	15 26 48	18 3 13	18 3 26	+ 0 13
75		3	34 15 20	15 9 56	19 0 59	18 57 56	+ 3 3
77	Julii	20	30 37 44	18 47 37	6 4 4	6 3 44	— 0 20
76	Aprilis	13	37 5 2	12 20 12	♉ 2 28 14	♉ 2 25 24	— 2 50
		18	35 25 54	13 59 22	7 18 54	7 20 54	+ 2 0
77	Octob.	15	16 18 0	11 52 37 A	♏ 1 9 12	♏ 1 5 49	— 3 23

Stellarum quatuor *Fixarum* magis eminentium *Loca,* a *Bernardo Waltero* Armillis ſuis determinata, Nobis tradit *Ricciolus:* atque hic omnia *Loca* inter ejus Obſervationes a Me reperta tradam; unde manifeſtó liquet, quód de ſuis *Menſuris* hoc Inſtrumento factis, uſque ad 10 *Minuta,* Certus eſſe nequivit, ut ipſe quoque diſertis aſſeruit verbis.

Aſtron. Reform. Lib. IV. Cap. 5. pag. 217.

Annus	Menſis	Dies		°	'		°	'
		Lucida Arietis						
1488	*Sept.*	4	♉	1	0	Lat. B	10	0
	Octob.	8					10	10
		Aldebaran						
1488	*Octob.*	8	♉	2	40	Lat. A	5	0
1490	*Dec.*	12		2	35			
1491	*Jan.*	11 & 17		2	35			
		20		2	23			
	Febr.	14 & 16		2	35			
1503	*Dec.*	12 ſepius & Diligent.		2	45			
		Hum. dext. Orionis						
1503	*Dec.*	12	♊	21	30			
		14		21	40			
1504	*Jan.*	5 & 10 diligentiſſ.		21	38			
		19 & 20	♊	21	38			
		Syrius						
1489	*Mar.*	5 & 12	♋	7	30			
		6		7	0			
		13		6	45	Lat. A	39	40
		16		6	45			
		18 & 19		7	0			
		23 & 24		6	45			
		& poſtea		7	0			
		31		6	55			
1504	*Jan.*	5		6	33			
		20		6	40			
	Feb.	13	♋	6	38			
		Procyon						
1489	*Mar.*	31	♋	18	33			
	Apr.	1		18	33			
1504	*Jan.*	5 10 & 20		18	38			
		Cor Leonis						
1489	*Mar.*	5 6 & 12	♌	23	6			
		13		22	38			
		16		22	20			
		18 19 & 23		22	45			
		31		22	50			
	Apr.	1		22	45			
1504	*Feb.*	13		22	40			
		20		22	42			
		26		22	40			

Et *Hipparchus* & *Ptolemaus* Stellarum fixarum *Loca,* Lunæ *Locis* iſta conferendo, determinarûnt; *Bernardus Walterus* autem, tum *Solis* tum Planetæ *Veneris* Longitudinum Differentias interdiú, ejuſdemque *Planetæ* atque *Fixarum* Longitudines

tudines variantes noctú, notando, Fixarum *Loca* decrevit: & hæc quidem *Walteri* Methodus certé fuit Rei peragendæ adaptior; quia *Veneris* Parallaxis non eſt conſpicua ſive ſpectabilis, ejuſdemque Motus *Lunæ* Motu eſt tardior valdé: utraque veró methodus eſt in Errores a *Refractionibus* oriundos proclivis; quarum Refractionum Effectus primó exploravit *Waltherus* ſuis Obſervationibus; aſt illarum Menſuris ad Nobilis *Tychonis* Tempora uſque incompertis, *Walterus* illas admittere, ſive illis ſpatium relinquere nequivit in ſuis ſupputationibus, neque per illas Refractiones caſtigare potuit ſuas Obſervationes. Atque hinc magnas Differentias inter earundem *Fixarum* Loca ab eo obſervata, Originem quodammodó duxiſſe, non videtur improbabile: & hæ quidem Differentiæ ampliús adaugeri potuere a Difficultate metiendi Longitudinis Differentias inter *Solem*, *Planetam*, & *Stellas* tantillo Inſtrumento, *Armillâ* nempe, nudiſque Conſpiciliis in illam fixis, quibuſcum *Collimatio* dubia valdé eſt atque incerta.

In Tractatu ſuo, *de Motu Octavæ Spheræ*, edito *Norimbergæ* 1522. Prop. I.

Joannes WERNERUS *Reguli*, *Spicæ* ♍ & *Lancis Auſtralis* ♎ Diſtantias in τῳ *Zenith* Meridionales, Regulis Parallacticis Anno 1514 obſervatas, nobis exhibet; & exinde illarum Sellarum *Declinationes* colligit, uti hic a me annexas, *viz.*

Regulus	35°, 16′	*Declin.*	14°, 07′ ½ B.	*Norimbergæ* Lati-
Spica Virg.	57, 53	*Declin.*	08, 29 ½ A.	tudinem plane de-
Lanx Auſt.	63, 02	*Declin.*	13, 38 A.	terminat 49°, 23′ ½

Copernicus Anno 1525 Altitudinem *Spicæ* ♍ Meridionalem apud *Fruemberg* in *Boruſſia* fore 27° propemodum obſervavit; ideoque ejuſdem *Declinatio* tunc Temporis fuit 8°, 40′, verſús Meridiem.

Joannes STADIUS Anno 1559 Altitudinem *Spicæ* ♍ Meridionalem *Bruxellæ* captavit fore 29°, 52′. Et exinde ejuſdem *Declinationem* fore 8°, 48′ verſus Meridiem determinavit: *Bruxellæ* enim Latitudinem fuiſſe 51°, 20′ eſt arbitratus.

Wernerus, *Copernicus* & *Stadius*, Spicæ ♍ *Latitudinem* ad Amuſſim 2°, verſus Meridiem fore concedendo (ſicut a *Ptolemæo* antea ſupputabatur) *Longitudinem* iſtius Stellæ talem Declinationem habituræ computarûnt per 2° Latitudinis Meridionalis; & quouſque iſta Stella a *Ptolemæi* Temporibus fuerit mota, illinc adjudicarûnt.

Ptolemæi

Ptolemæi Catalogum Stellarum *Loca* edere uno circiter Gradu Minora quam reverá ſunt, dudúm præmonſtravi: alios autem Errores repertos in hac Methodo determinandi Loca *Spicæ* ♍ (aut cujuſvis aliûs Stellæ eidem Negotio adhibitæ) videre licet in Riccioli *Aſtronomia Reformata* Lib. IV. *Capitibus* 3, 4, 5. ubi certiores facti ſumus *Cardinalem Cuſanis*, ad Annum uſque 1440, *Fixarum* Catalogum exaraſſe, in quo 21′ tantúm *Ptolemæi* Longitudinibus addidit, ejuſque Latitudines tranſcripſit. *Abraham Zaguth* etiam Anno 1474 Spicam obſervavit in ♎ 17°, 10′, atque veriſimile videtur Ambos eâdem methodo uſos fuiſſe quam *Wernerus* & *Copernicus* ab Illis mutuati ſunt ac poſtea uſurparûnt: Latitudines enim hac in Methodo ſunt eædem ac *Ptolemæi* Latitudines in *Copernici* Catalogo exſcriptæ; ejuſque Longitudines ab Iſtis *Ptolemæi* diſcrepant quodam *Arcu* Graduum 6°, 40′, fixo, ſive invariabili, quo a *Ptolemæi* Longitudinibus deducto, *Copernici* Longitudines reſiduæ ſunt & Iſtæ *Clavii* quoque, qui ſuas a *Copernico* eſt mutuatus.

Non diu extabant *Copernici* Opera quin a veris Veritatis Amatoribus, ſive Viris eruditis Aſſiduitate, & ἀκριβέια delectatis fovebantur, & quám primúm *Eraſmus* Reinholdus Tabulas motuum Cœleſtium Hypotheſi *Copernicanæ* (quæ Terræ motum ſuppoſitum habuit) congruas in Lucem ediderit; Bella, horrida Bella, inter harum duarum Hypotheſium Vindices exorta ſunt: atque *Alphonſinas* Tabulas a Cœlorum Veritate enormiter aberraſſe, *Reinholdi* vero Tabulas *Prutenicas* multó minús plerumqué aberrare, citó erat reſcitum.

Opus 7. Annorum ut in Præfatione ſua Nobis narrat.

Sed *Omnipotens* Povidentia ſervos ſuos Ratione præditos Veritatum utilium non ſemper ignaros eſt paſſa; & ut toti Mundo Divina *Sapientia* plané innoteſceret, atque Hominum *Stultitia* detecta foret in Cœlorum Motibus excogitandis & repreſentandis alitér atque ab Ipſo Creatore diſponebantur: ſapientiſſimus, inquam, totius Mundi *Architectus*, magno *Copernico* ad verum Cœlorum Syſtema reſtaurandum hactenús excitato; paululúm intra 4 Annos poſt *Copernici* Mortem (quæ contigit Anno 1543) Tychonem Brahe *Danum*, Genere ac Virtute nobilem, ſingulare naturæ Beneficium & Literaturæ Ornamentum, Orbi donavit, natum *Knudſtorpii* Anno *Æræ Chriſtianæ* 1546, *Aſtronomiæ* reſtaurandæ aptiſſimum; qui quum in Adoleſcentiæ

Adolescentiæ suæ Primordiis studio Astronomico sedulam navasset Operam, Tabularum *Alphonsinarum* Hypothesi *Ptolemaicæ* innixarum Errores crassos, Tabularumque *Copernicanarum* & *Prutenicarum*, Cœlorum Veritati propiorem Congruentiam, citó investigavit ; eodemque Tempore Catalogum *Fixarum Ptolemaicum* maximis scatuisse Erroribus exploravit, atque pro certo statuit, Motus Cœlestes nunquám exacté repreſentandos sive describendos fore, donec melior sive exactior Catalogus conficeretur. Ideoque ampla Instrumenta fabricare, in Animum duxit, ad observandas Solis, Stellarum & Planetarum Altitudines ac Earum a se invicem Distantias, Eo Fine ut optimarum Cœlestium Observationum Notitiam haud mediocrem sibimet ipsi bené acquireret ; Earumque in secula propagandarum Rationem & Modum Posteritati legaret, quó sic veram Cœlorum *Theoriam* detectam haberent, *Numeros* invenirent, *Tabulas* ad Cœlorum Motus rité repreſentandos conficerent, omniaque Emolumenta necessarió exindé germinantia uberrimé caperent. *O profundas Divitias túm Sapientiæ túm Cognitionis Dei! quám inscrutabilia sunt ejus Judicia & ejus Viæ impervestigabiles!* omnes itaque Viri eruditi corám *Sapientia Omnipotente* sese in Profundum humilient, omnem túm sapientiæ túm Cognitionis humanæ Gloriam Ei grato tribuant Animo, & cum *Psalte Regio* canant

> Quæque per vastos ubicunque Fines
> Imperi pollens Opifex creavit
> Plaudete, Auctori Domino Deoque
> Pangete Laudes.

Eximius *Tycho Brahe* in *Dania* Ordine *Patricio* oriundus, cui, magna fuit Rei familiaris Copia, & ab Amicis in Regia summis *Danorum Regi* Friderico II. magnoperé commendatus, qui præmio 4000 *Thalerorum* Eum annuatim donavit, ut Studia sua feliciús promoveret ; *Astrorum verâ Scientiâ & Observationibus longo Tempore & magno sumptu factis, Omnium concordibus suffragiis* Principis Astronomorum *nomen promeritus est : & quum* Chersoneo-Cimbrica *relictâ, in* Germaniam *se recepisset, in Aula* Rudolphi Cæsaris *aliquandiu floruit* ; *atque cum illustri Principe* Gulielmo Hesso *(qui in eâdem excellebat Scientia) arctâ Studiorum Necessitudine conjunctus, tandem Fatis concessit Pragæ Anno* 1601, 9 *Kal. Novemb. Stilo novo,*

quum

quum vitæ Annos 54, *Menses* 9. *Dies* 19. *(proh Dolor!) tantùm exegisset: sicut nobis narrat Thuanus.*

Apud *Augustam Vindelicorum* dum commoraſſet *Tycho*, Anno 1572, in Conſulis *Pauli Hamzelii* uſum, machinatus eſt amplam & volubilem *Quadrantem*, cujus *Radius* erat 21 Pedum, ejuſque *Fulcrum*, vel Machinam, ſive *Coſtas* ex Quercu bené præparato fabricavit: ſed ejus *Artum* æræ obductum habuit, quò Diviſionibus & Sectionibus magis accuratis recipiendis aptior eſſet: atque hocce Inſtrumento, Anno 1572 exeunte, ac Anno 1573 ineunte, minimam *Novæ* Stellæ in *Caſſiopeia* meridionalem Altitudinem obſervavit, tunc fuiſſe ——— 20°, 9′ ½
& maximam ſupra Polum *Altitudinem* ——— 76°, 34′, 30″
Quæ quidem per *Refractiones* caſtigata, veram dat
Novæ iſtius *Stellæ* a Polo *Diſtantiam*, nempé 28, 13 ½
Atque *Latitudinem* villæ τȣ *Gegying* prope *Auguſtam*
Vindelicorum ——— 48, 21
quam *Tycho* ſupputat fore 48°, 22′, *Refractionibus* nempè neglectis.

Eodem Quadrante *Hamzelius* maximam Stellæ *Polaris* Altitudinem ſuputavit fore 51°, 22′, 15″. *Caſtigat.* 51°, 21′, 37″
Minimam verò ejuſd. Altitudin. 45, 21, 45 ——— 45, 20, 58
Et Differentiam ——— 6, 00, 39
Stellæ Polaris a *Polo* Diſtantiam ——— 3, 00, 19
Minimam Altitudinem obſervatam ——— 45, 20, 58
Latitudinem villæ τȣ *Gegying* ——— 48, 21, 17
Atque hujus Obſervationis ab *Hamzelio* peractæ, nempè, *de Stellæ Polaris a Polo Diſtantiâ*, mentionem feci; quia omnium Obſervationum, amplis & accuratis Inſtrumentis confectarum, Antiquiſſima Nobis extat, illaſque a *Nobili* Dano poſtea confectas plenè confirmat.

Illuſtriſſimus & *Sereniſſimus Princeps* Gulielmus *Heſſiæ* Landgravius *Solis* Altitudines *Meridionales* ſæpiſſimè, duobus diverſis Quadrantibus, obſervandas curavit ab Anno 1561 ad Annum uſque 1582, quales autem erant Eorum *Radii*, non docemur, quippè ab Eo tantùm diſcriminati ſub Nomine *Quadrantis* Majoris & *Minoris*; & abſque ullâ Refractionum Deductione, *maximas* Solis *Altitudines* Meridionales, Solſtitii Æſtivi Tempore, apud *Caſſellam* determinavit — 62°, 12′, 0″.
Minimaſque, adultâ Hyeme ——— 15, 12, 0
Exinde *Eclipticæ* Obliquitatem collegit ——— 23, 30, 0
Et *Caſſellæ* Latitudinem ——— 51, 18, 0

Sed quum *Fixarum* & *Planetarum* obſervationes *Heſſianæ* ante Annum 1590 non ſint inchoatæ, *Tychonis* autem Obſervationes Anno 1582 inſtitutæ ſint, ut patet *in Hiſtoria Cœleſti*; de *Heſſianis* ulteriùs differere non pergam, donec de Iſtis *Tychonis* ampliorem reddiderim Rationem.

In ſuis Aſtronomiæ Inſtauratæ Mechanicis.

TYCHO ſuas Obſervationes, inter Ætatis ſuæ Annum 15 & 21 confectas, tanquam *pueriles* ac *dubias*, ſemetipſum judicaſſe, nobis refert; Iſtaſque inter Annum Ætatis ſuæ 21 & 28, ut *excuſatè concinnas*; Illas verò Obſervationes, amplioribus ſuis Inſtrumentis, *Uraniburgi*, ſpatio Annorum 21 a ſe peractas, & ad Annum uſque Ætatis ſuæ 50 continuas, tanquam *Accuratas*, *firmas* & *indubitabiles*, ſe eſſe arbitratum tradit. Quum autem natus fuerat *Tycho* 13[tio] die Decembris horâ 22[da] cum Minutis 47 P. M. Anno *Æræ Chriſtianæ* Juliano ———— 1546 cui Anno ſi addantur *Quinquaginta* Ætatis ſuæ Anni Abſoluti 50 deventum eſt ad Annum *Æræ Chriſtianæ* exeuntem — 1596.

Et circà idem Tempus ob quorundam in Aula *Regis Chriſtiani* IV. *Magnatum* Avaritiam & Verſutiam, ex ſua *Uraniburgo*, & etiam ex totâ DANIA, decedere coactus fuit *clariſſimus Tycho!* Jam verò, ſi Obſervationes ſuas accuratas, apud *Uraniburgum* continuas habuerit per Annos 21, tunc Eas fuiſſe inchoatas oportet Anno 1575 exeunte vel 1576 ineunte, quandò, nempè 8[vo] Auguſti die, Domum ſuam, *Obſervatorium* dictam, ædificare inſtituit.

Exactiſſimam autem Ejuſdem *Librorum* Enarrationem reperio, in *Eraſmi* BARTHOLINI Libro vocato, *Specimen Recognitionis Obſervationum Aſtronomicarum* TYCHONIS BRAHEI, *Editum Hafniæ* in 4[to], ac FRIDERICO III. *Daniæ Regi dicatum*, 20[mo] *die Januarii Anno* 1668: in quo nos facit certiores (*pagina* 7.) quòd in Editione *Auguſtanâ*, omnes *Tychonis* Obſervationes deſiderantur ab Anno 1563, ad Annum 1582; omneſque peractæ Anno 1593; quibus addere poſſum *Cometarum* ejus Tempore eminentium Obſervationes ab Illo factas. Nobis porrò narrat *Bartholinus*, quod a primis harum Obſervationum *Autographis*, ſive primis Earum notis & Commentariis, ab ipſo *Tychone* ſcriptis, tranſcripta fuerunt hac de Re *Volumina* quæ extant in IMPERATORIS ROMANI *Bibliotheca* apud *Viennam* & (pag. 9.) quod eorum voluminum quædam *Tychonis* Manu propriâ ſcripta ſint, præſertim *primorum Annorum* Iſta; quòd

cætera

cætera verò *Longomontani*, *Witchici*, ejuſque *Domeſticorum* manibus tranſcripta ſint; & quòd *ſeptem* ſint ibidem Volumina in *Folio*, *unum* in 4to, *unumque* in 8vo, quibus *unum* in 4to, ejuſdem *de Cometis Obſervationes* complectens, addendo; *decem* omninó erunt *Volumina*. *Autographa* prædicta, ſive primi iſti Commentarii, Omnes *Tychonis* Obſervationes ab Anno 1563 ad Annum 1601 complectuntur & quæ *Keplerus* vocat *Tychonis Protocola* ſive primas Membranas *& Cha: Obſervationum*, in quibus nempè raptim deſcribebantur Obſervationes, eodemque Ordine quo erant peractæ: Atque omnia hæc *Tychonis* Autographa vel in *Regis Danici* Poſſeſſu, vel in *Eraſmi Bartholini* Hæredum Manibus hodiè conſervantur. Eruditiſſimus *Roemerus* eandem mihi Narrationem impertivit quandò apud me hoſpitabatur.

Veruntamen ante Annum 1582 non incipit TYCHONIS *Hiſtoria Cœleſtis*; ideoque Obſervationes *quinque Annorum* ad Minimum, hoc in Libro deſiderantur: quia forſitan Quinque Iſtis Annis præterlabentibus in ædificando *Obſervatorio* & Inſtrumentis *Aſtronomicis* fabricandis plurimùm fuit occupatus; vel quia ejus Obſervationes nec totidem nec tàm exquiſitim factæ fuere ante Annum 1582 quàm fuerunt Iſtæ poſteà peractæ: quanquam ejus obſervata Loca Cometæ, Anni 1577 intervenientis, Eum quaſdam Obſervationes etiam Tunc Temporis feciſſe oſtendunt: atque præfatus Dominus *Roemerus*, iſtorum Annorum Obſervationes in *Dania* extare, mihi narravit, Earumque Exemplaria & Iſtarum Anni 1593 (quæ deſunt in *Lucii Barretti* Editione *Auguſtæ Vind.* 1666) ſe in *Galliam* deportaſſe Anno 1670, quandò in Adjutorium Domini *Picart*, in Obſervatorio apud *Pariſienſes*, ex *Dania* profectus eſt.

Inſtrumenta a *Nobili* TYCHONE fabricata & Rei Aſtronomicæ apud *Uraniburgum* adhibita (quorum Rationem reddit cum Eorum Figuris in Libro ſuo vocato *Aſtronomiæ Inſtauratæ Mechanica*, ad *Imperatorem* RUDOLPHUM ſecundum dicato ac *Noribergæ* excuſo, A. D. 1602.) ſunt, *viz.*

I. QUADRANS minor ORICHALCICUS INAURATUS, é ſolidâ conſtans Luminâ Orichalcicâ craſſiuſculâ, habens à *Centro* ad *Circumferentiam* unum *Cubitum*, ſive *pedes* octodecim, omnique ſui Parte Auri hydrargyri & Ignis beneficio inauratus, ut pulchrior & mundior maneat, non obnoxius iis, quæ *Orichalcum* aliàs, niſi ſæpè mundetur, ſucceſſivè contrahit, Inquinamentis. *Limbus*

bus ejus exterior ſubdiviſus eſt (vulgari ſaltem Ratione) in 90 partes æquales; & quælibet harum rurſus in 12; ita ut hæc ſubdiviſio ſingula *Quina* oſtendat *Minuta.* Intra hanc eſt alia quædam Diſtributio, quam *Petrus Nonnius Hiſpanus*, in Erudito ſuo Libello *de Crepuſculis* tradidit; exiſtimans Eam a *Ptolemæo* olim fuiſſe uſurpatam: quod tamen vix Fidem meretur. Intra *extremum* Quadrantem alii ducuntur *Minores* numero 44 ſucceſſivè ſeſe comitantes; quorum *Extimus* in 89 partes eſt dividendus, *ſequens* in 88, *Tertius* in 87, & ſic deinceps, donec ad *ultimum* & *intimum* perventum fuerit, qui 46 habebit portiones. Ejus *Regula* habet Pinnacidia vulgari modo parata cum Foraminibus: Ejus *Perpendiculum* a Poſteriori parte appenditur: Ejus *Latus inferius* Horizontis Æquilibrium, *Alterum* verò *Latus* verticem Capitum reſpicit; totumque Quadrantis *Planum* Plano Circuli alicujus Verticalis congruat, & inſiſtit *Pedeſtali* ferreo & *Fulcro* mobili cum *Cochleis* quibuſdam, ut attolli poſſit vel deprimi, ſurſùm vel deorſùm trudi, prout opus fuerit, firmâ tamen manente totâ inferiori *Pedeſtalis* Parte.

II. QUADRANS *Mediocris* ORICHALCICUS AZIMUTHALIS, ex ſolidâ conſtans laminâ, habens a *Centro* ad *Circumferentiam* paulò plus *ſeſqui altero* Cubito, ejuſque Craſſities eſt fermè *Semis* Latitudinis digiti. Continet verò intra Circumferentiam non ſolùm Diviſionem nobis uſitatam per Lineas & Puncta tranſverſalia, ſed & *Nonnianam illam* (ſupra memoratam) ratione tamèn magis accommodâ ampliatam habetque *Tabulam* in alterâ *Quadrantis* Superficie exciſam, quæ Diviſiones illuſtrat, aptaſque uſibus reddit, ſine ulteriore Calculo. Ejus *Regula* eſt tota chalybea, at ſimul inaurata, cum duobus *Dioptricis* orichalcicis, & Inferiori eſt *Oculus* Obſervatoris applicandus, quæ *Rimulas* priori *Pinnacidio* parallelas exhibet, quò ſidera undiquàque circà primum Pinnacidium eò collimatiùs & centralitèr, abſque omni Hallucinatione, collineare liceat: qui Modus nobis in Omnibus fermè Inſtrumentis uſitatus eſt. Eſtque ipſa *Regula* Quadrantis *Radio* longior; ut eò exactior & commodior fiat Obſervatio, & ut inter collimandum, Digitis tolli deprimique facilè poſſit, donec Aſtri obſervandi exquiſita pateat *Altitudo*, unàque *Azimuthum.* FULCRA verò Quadrantis ſic ſeſe habent; primùm volvitur Quadrans cuidam *Tereti* oblongo robuſto, Ferro per *Cochleam* affixus:

affixus: *Canalis* inferiùs geſtat *aliam* Regulam, quæ unà cum *Plano* Quadrantis in quamlibet Cœli Faciem, ſuprà *Horizontem* Azimuthalem Chalybeum, commodè convolvitur; ſimulque, ſub Indice, *Azimutha* pandit Sideris obſervati, unà cum *Altitudine*, eodem Negotio; ita ut *Altitudines* ſuperiùs in Quadrante veniant numerandæ, ſicut *Azimutha* ſunt numeranda in dicto Circulo *Azimuthali*. *Cochleæ quatuor* efficiunt, ut per Eas *Horizon* ille chalibeus, in veri Horizontis *Planum* exactè diſponi poſſit; adeoque ipſe Quadrans ſuperiùs exiſtens, tàm ſecundùm Horizontis *Æquilibrium*, quàm verſùs *Zenith*, utroque ſuo Latere, ritè dirigi poſſit. Eſt & alia *Cochlea* que ipſam in Minutulis quibuſvè *Differentiolis* (ſicubì opus fuerit) corrigat; ita ut amuſſim *Planum* cujuſvis Circuli *verticalis*, in quocunque ſuo ſitu, repreſentet. Porrò, hæ *Cochleæ chalibeæ*, totum Inſtrumentum portantes, *quatuor Columnis* inſiſtunt *marmoreis*, intrà quas continetur *Scamnum*, ſive *Pedeſtale*, in quod, peractâ Obſervatione, adſcenditur & ſtatur; ut *Altitudo* in Quadrantis Circumferentiâ commodè obſervari & accuratè numerari queat. Atque præcipuus hujus *Quadrantis* uſus extitit in *Tychonis* Obſervationibus de *Cometâ* Anni 1577, ut in *Progymnaſmatum ſuorum Aſtronomicorum* Tomo ſecundo videre eſt.

III. Quadrans *alius* Orichalcicus & Azimuthalis, habens ſub ſe Horizontem *Azimutha* continentem, & è ſolido Orichalco fuſum. A *Centro* ad Circumferentiam, Longitudo eſt unius *Cubiti* cum ſemiſſe. Idem eſt *Limbus* ac in priori Quadrante, *duorum* nempè digitorum Latitudinem continens; ſed vice *Diviſionis Nonnianæ*, Quadratum in Areâ Quadrantis conſpicitur, unàque huic *Cognationes* adaptantur, decuſſatim incidentes, *Fulcri* ſaltem loco & majoris Firmitatis Cauſâ: altera verò Adaptatio circà hoc Quadratum, Formam Literæ Y repreſentans, ipſum quadrantis *Planum* ſiſtat *Horizonti*, cui involvitur, ad Angulum rectum, quomodocunque circumgyretur; & hæc adaptata Forma *Cochleolâ* quâdam *Horizonti* figitur; & immota permanens, Gradus *Azimuthales* commodè demonſtrat. Quòd verò *Quadrans* hic non ſit totâ ſuâ Seuprficie ſolidus, ſed Diſcrimina ea habeat quadrilatera, id præbet utilitatis; quod minoris ſit Ponderis, faciliùs tractari poſſit & ab uno in alium Locum transferri queat. *Regula* ſuo *Plano* latiori, & Quadrantis etiam *Plano* ubique adjacet, cum *Dioptris*

M &

& *Pinnacidiis* & duabus *Anſis*, ut *Azimuthorum* Perſcrutatio fiat accurata. *Horizon* autem *Azimuthalis* infrà Quadrantem, ipſum ſuſtentans, & habens in ſe, decuſſatim ad Angulos Rectos, Fulcimina; habet inſuper, juxta earundem *Contignationum* Extremitates, quatuor *Cochleas*, quibus totus *Horizon*, & ipſe *Quadrans* illi inſiſtens, ita dirigantur, ut hic *Planum* Circuli *verticalis* cujuſvis ad Amuſſim imitetur. Cæterùm, inſiſtit totum Inſtrumentum *Lapido* quadrato, qui *Columnæ* lapideæ firmiter innititur. Atque hic a *Tychone* vocatur *Quadrans portatilis*, quod omnia hùc pertinentia facilè disjungantur: additque quod hiſce duobus Quadrantibus, in exactiſſimis Obſervationibus, non ſit nimiùm fidendum, ſed ad majora Inſtrumenta nos conferamus.

IV. Sextans Astronomicus, prout *Altitudinibus* inſervit. Hoc Inſtrumentum, uſibus apprimé accommodum, (inquit *Tycho*) Ego primus, ante *Annos* plus minùs 20, excogitavi; adeoque hoc Nomen ipſi indidi, quod *Sextam* Circuli *partem* in Circumferentia complectatur. *Tria* ejuſcemodi Organa conſtruxit *Tycho*, eodem Modo ſe habentia, quoad exteriores *Limbos* & *Pinnacidia*, non verò quoad *Contignationes* intrinſecas. Hic autèm *Sextans* paucioribus erat refertus *Contignationibus*; ut, ſcilicet, ejus partes per *Cochleas* disjungi & coaptari poſſet, & ita foret Inſtrumentum *portatile*; atque non tantùm Solis *Siderumque* Intercapedinibus, ſed & earundem *Altitudinibus* rimandis, appoſitè inſerviret, & ſic Poli *Altitudines* in variis Terris explorarentur. Eſt autem *Sextans* totus undiquaqùe *Orichalcicis* Laminis imbutus, idque adeo concinnè, ut ex *Solido* diceres *Orichalco* fuſum, nullâ apparente Combinationis *Rimulâ*: habetque a *Centro* ad Circumferentiam 4 *Cubitos* vel 6 *Pedes*. Juxta Centrum eſt *Cylindrus* cum *Regula* tendente ad Circumferentiam, cujus Beneficio Obſervationes fiunt, intermediante *Pinnacidio*, apud extremitatem *Regulæ*, cum duabous Rimulis, tantùm ab invecim diſtantes quantùm *Cylindri* Diameter exigit; ut hinc inde paralleliter fiat Obſervatio, Siduſque centraliter citrà Hallucinationem denotetur. Circumferentia per puncta *tranſverſalia* dividitur; cum hic Modus ſit omnium aptiſſimus & in conficiendo facillimus, nullique Incertitudini obnoxius; quem alii poſtea in *Germania* (ait *Tycho*) ſibi attribuerunt, præſertim *Wittichius* pro ſuo venditavit. *Cochleis* porrò & componitur & disjungitur hoc

hoc Inſtrumentum; atque ejuſdem Fabricatio & Uſus deſcripta videantur in *Tychonis* Aſtr. Inſtaur. Mechan.

V. Quadrans Muralis, ſive Tychonicus, ab ipſe *Tychone* (a quo primùm fabricatus & conſtructus fuit) & a *Muro*, cui infigebatur, dictus; e ſolido Orichalco fuſus & apprimè levigatus, quinque Digitorum in *Latitudine*, duorum *Craſſitudine*, & in ſua *Circumferentia* tantæ eſt Capacitatis, quantam *Radius*, ſeu Circuli ſemidiameter, penè *quinque* Cubitorum ſive pedum 7 ½ poſtulat. Itaque *Gradus* habet admodum Amplos, ut ſingula in his *Minuta* adhuc in *ſex* Portiunculas ſubdividantur, atque *dena* quælibet Scrupula *Secunda* diſcriminatìm exhibet; adeo ut horum *Semis*, *quina* videlicet *Secunda*, in his non difficulter diſcernantur: Eaque omnia per *puncta* quædam *tranſverſalia* (modo *Tychoni* uſitato) ſubtiliſſimè ſignata.

Muro cuidam, *Meridiem* exactiſſimè ſuo *Plano* reſpicienti, affigitur, idque firmiſſimis *Cochleis*, ut nullâ vi aut Robore a ſuo debito ſitu dimoveatur, & ut *Quadranti* cœleſtis Meridiani ab *Horizonte* in *Zenith* ducto (ab oppoſitâ tamen Parte) apprimè ſit *hic Quadrans* analogus. Eſt & alter *Murus* Priori *orthogonalis*, Orientem & Occaſum ad amuſſim reſpiciens, (ubi ſuperiùs eſt *Centrum Quadrantis*) qui habet in parte ſuperiori *Cylindrum* quendam Orichalcicum inauratum in *Foramine* quodam *Quadrato*, quod exteriùs aperiri & claudi convenienti Januculâ poteſt; ut circà *Cylindrum* fiat hinc inde *Collimatio*, quum fuerit Sudum; idque per duo *Pinnacidia* Quadrantis *Radio* ita innixa, ut quorumque horum lubuerit, Eo uti liceat, prout Altitudini menſurandæ magis fuerit oportunum; & quodlibet eorum Pinnacidiorum *Quadratum* in *Plano*, ad Magnitudinem unius *Palmæ*, fabricatum eſt: cui etiam Pinnacidio *Cylindrus* antedictus in ſuo Diametro omninò correſpondet; ita ut per *Rimulas* parallelas, ipſis *Pinnacidiis* applicatas, fiat in omnibus *quatuor* Locis *Collimatio*, ſi & Altitudo & Tranſitus per *Meridianum* ſimul ſint capienda: aliàs, ſi ſola deſideratur *Altitudo* per ſuperiorem & inferiorem *Rimulam*, ſimileſque *Cylindri* partes, Observator, ad *Pinnacidium* ſtans, negotium abſolvit, & numeratam *Altitudinem* alteri Studioso, libro Obſervationum inſcribendam, indicat; qui Alter ad partem *Quadrantis* inferiorem aſſidet Menſæ cum *Lucerna*. Ut verò Obſervationis Tempus atque ipſiſſimum

Momentum

Momentum *Transitûs* per *Meridianum* unà constet, *Tertius* STUDIOSUS *Horologiis* attendit, quando *Observator* signum dat; quod etiam Temporis Momentum, a *Studioso* Mensæ assidenti, Libro inscribitur. Horologia duo ad Minimum, non solùm singula Horarum *Minuta*, sed & *Scrupula* earundem *Secunda*, indicere debent, quâ fieri potest Precisione, atque Revolutionis cœlestis *Æqualitatem* æmulentur. Quatuor *Tychoni* fuere Horologia in promptu, quorum unum & *maximum* tribus rem omnem expedivit *Rotis*; quarum Rotarum *Major* è solido & puro Orichalco fusa, 1200 habuit *Denticulos*, & cujus *Diameter* fuit *duorum* Cubitorum.

Quæcunque intra Quadrantis *Circumferentiam* cernuntur *Picturæ*, Ornatûs solummodò gratiâ sunt additæ & ne Spacium interceptum otiosè vacaret, *viz.* 1. *Tychonis* vera Effigies ad Mensam Assidens in longa talari veste, ut vix similior dari possit. 2. *Globus* Orichalcicus inauratus. 3. Binæ Effigies appendent, una *Regis Danici* FRIDERICI II. altera ejus Conjugis *Reginæ* SOPHIÆ. 4. *Bibliothecæ* Astronomicæ pars representatur. 5. Aliqua *Tychonis* Instrumenta depicta. 6. *Musæum* exhibetur cum quatuor Mensibus *Studiosorum*; semper enim 10 vel 12 *Studiosos* sustentavit, præter *Pueros* & *Juniores* ejuscemodi Discipulos. 7. Inter has Menses, post Columnam, *Globus* ille *Maximus* Orichalcicus, Sex Pedum in *Diametro*, quem postea suo Loco exhibebimus. Et infrà depictum fuit *Laboratorium* TYCHONIS *chymicum*, quod totum fuit subterraneum & crypticum; ubi erant *decem* varii Generis variæque Formæ *Fornaces Pyronomicæ*: huic enim Studio, ab ineunte etiam Ætate, fuit perquam addictus. 9. Ad *Tychonis* Pedes recumbit *Canis* venaticus, non tàm Nobilitatis quàm *Sagacitatis* & *Fidelitatis* Hieroglyphicum. 10. Tandem superiùs est Inscriptio, *viz.*

EFFIGIES TYCHONIS BRAHE, O. F.
ÆDIFICII ET INSTRUMENTORUM
ASTRONOMICORUM STRUCTORIS
Anno Domini 1587. *Ætatis suæ* 40.

VI. QUADRANS VOLUBILIS AZIMUTHALIS, non solùm ad *Altitudines* subtiliter scrutandas aptus, sed etiam ad *Azimutha* exactè pandenda, & a Centro ad Circumferentiam quatuor Cubitos, sive sex pedes, complectens; cujus *Circumferentia* adeo subtiliter per puncta transversalia est subdivisa, ut *quartam*

unius *Minuti* partem Collimatori acuto exhibeat, Oculo ad *Pinnacidium* applicato, & motâ *Regulâ*, donec *Sidus* obſervandum ad Latera *Cylindri* juxtà Centrum, hinc inde æqualiter ſplendeat; tunc enim *Regula* Circumferentiæ Diviſiones tranſeundo, quæſitam exhibet *Altitudinem*. Circumferentia *Azimuthalis* ſuperiùs extenditur, ejuſque *Index* Azimuthorum *Momenta* patefacit. *Contignationes* intra Quadrantis *Aream* multifariæ, illum firmiter tàm in ſuo *Plano* quàm in reliquâ Conformatione debitâ, retinent atque conſervant; omneſque Quandrantis *partes*, partim *Chalybeis*, partim *Orichalcicis* incruſtationibus (pro ut opus erat) munitæ. Affixus eſt etiam firmiter *Columnæ* forti ferreæ quadrilateræ, cum qua etiam facillimè circumvolvitur in quamcunque *Cœli* partem. Nam dicta *Columna* ferrea, ſuperiùs teres facta, in *Foramine* quodam *Ferramenti* denſi, quod decuſſatim, *Muro* rotundo, *Turriculam* ſive *Cryptam* (in qua Inſtrumentum conſervabatur) efficiente, firmiter adaptatum eſt. Inferiùs autem Columna in *rotundum* Acumen ex Chalybe deſinit, ac in *parvo* Foramine pariter acuminato revolvitur in *Laminula* quadam chalybea, & *Saxo rotundo* firmiter inſiſtit Columna; *Laminula* verò hæc *quatuor* extra-poſitis *Cochleis*, quaquaverſùm opus fuerit, trudi poteſt, donec *Quadrantis* utraque *Perpendicula* tàm *Planum* Quadrantis quam *Dorſum* ejus (quomodocunque circumgyratur) ita dirigant, ut exactè Calculum quemvis *verticalem* repreſentare deprehendatur.

Murus autem is *rotundus*, Circuli Peripheriam exactè exhibens (cujus Diameter eſt *6* circiter *Cubitorum*, ut ſufficiens Spatium ſit inter Circumferentiam *Quadrantis* & Concavitatem *Cryptæ*, quò *Obſervator* commodè circumire queat) ſuprà habet quendam *Circulum Mechanicum*, Laminis Orichalcicis veſtitum; in quo omnia totius *Horizontis* (cui ſuo Æquilibrio correſpondent) *Azimutha* in Minutias ſubdiviſa præbet, unàque immotus perſiſtit. Atque hoc *Organum* hanc habet Prærogativam præ aliis (quæ per *Altitudines* & *Azimutha* expediuntur) quod citra Laborem omnia per ipſum exactiſſimè ac tutò, adeoquè intra *quartam* Minuti *partem*, conſequi liceat; quod Prioribus, cùm ob Parvitatem, tùm ob Structuram non adeo concinnam & uſui facilem, denegatum eſt: ſicut videre eſt per ejus Fabricam & per tractandi & obſervandi Rationem in *Aſtron. Inſtaur. Mechan.*

VII. QUADRANS MAGNUS CHALYBEUS, in QUADRATO etiam *chalibeo* comprehenſus, unàque AZIMUTHALIS, eadem præſtat atque Antecedens, imò adhuc ſubtiliora, quum majus & amplius ſit Organum: habet enim à *Centro* ad Circumferentiam fermè 5 *Cubitos*, præter *Quadratum* etiam e ſolido conſtans Chalybe, quod illum ambit. Ipſe verò Quadrans *Laminis* Orichalcicis affabrè inductus eſt, ut *Diviſiones* & *Subdiviſiones* ſubtiles rectius ſuſtineat: non autem *Quadratum* eſt *Orichalcò* indutum, eo quod rarior eſt ejus uſus; præſertim,enim,Fulciminis & commodioris Convolutionis Gratiâ tantùm,illum comprehendit. Attamen & Hoc in ipſo *Chalybe* quam ſubtiliſſimè diviſum eſt, ita ut *Quodlibet* ejus laterum (quæ Circumferentiam Quadrantis ambiunt &*Horizontem* & *Zenith* reſpiciunt) Canonis Sinuum ultimum numerum 6 *Ziphrarum* comprehendat; & *Regula* à Centro per *totum Planum* ducta, tam in *Quadrante* quam *Quadrato*, Altitudinem petitam inter obſervandum demonſtrat; *iſthic* quidem per *Graduum* Æqualitatem, *hic* verò ſecundùm *Sinuum* & *Triangulorum* Rationem Geometricam; & nihilominus, Res utrobique in unum & idem redit. Habet etiam *Pinnacidium* cum *Dioptris*, & *Cylindrum* juxta Centrum, eâdem Ratione prout in Prioribus; ſua quoque ſuſtentacula & *Contignationes*, pauciora tamen; quum Totum ſit metallicum. Quin & hic *Quadrans* cum ſuo quadrato *Columnæ* ferreæ admodùm robuſtæ affigitur, cum qua etiam convolvitur. Gyratur enim *Columna* illa ſuperiùs in rotundo *Foramine* quod in medio eſt *Ferramentorum* tranſverſim in *Muro Cryptæ* firmiter diſpoſitorum; atque inferiùs in ferreâ *Lamina*, eodem modo quo in Antecedente dictum, ut iſthic per *Cochleas* quadrifariam diſpoſitas, totum Inſtrumentum ritè ad uſum adaptari queat, unàque in ſua Convolutione firmiter contineri, nè ultra *Planum* requiſitum divellatur: atque *Lamina* cum ſuis *Cochleis* Columnæ rotundæ lapideæ infigitur, quæ totam ſuſtinet Machinam. Habet etiam ſuum *Horizontem Azimuthalem* Orichalco inductum & in Medio quaſi *Muri Cryptici* poſitum, quò *Obſervator* ſtans in ſuperiori Gradu, *Azimutha* per *Indices* utrinque numerare queat.

VIII. SEMICIRCULUS MAGNUS AZIMUTHALIS, *Altitudinibus* unà cum *Azimuthis* ad Amuſſim capiendis idoneus; cujus *Diameter* eſt 6 *Cubitorum* vel 9 Pedum. *Centrum* Diviſionum conſtituitur in *Angulo* ſive apud Diametri Extremitatem; eò quod

eò quod ſic ſinguli Gradus, in ambitu Semicirculi, duplò Majores evadant, quàm ſi ex ejuſdem *Centro* fieret Graduum Diſpertitio; quia Angulus a Centro Circuli ad Circumferentiam duplò Major eſt Angulo qui a Circumferentia in hanc ipſam ducitur; *juxta propoſitionem* 20. Lib. III. *Euclid.* A Circuli *Centro*, ſive a *Diametri* Medio, in Semicirculi *Apicem*, eſt *Canalis quadratus oblongus*, intra quem eſt *perpendiculum*; cujus *Plumbum* in Foramine apud Centrum cum *Filo* Orichalcico monſtrat, quando, ſcilicet, Inſtrumentum ſit perpendiculariter erectum; ita ut *Plano* Semicirculi verticalis omninò correſpondeat. *Contignationes* quoque ſunt hinc inde adhibitæ, ut vaſtum hunc Semicirculum in ſuo Plano & circulari Ductu firmiter contineant. Inter Contignationes eſt etiam Parvus *Quadrantis* Arcus, cujus *Centrum* eſt dicta *Diametri* Extremitas; ubi figitur *Regula* tantam a *Centro* habens Longitudinem quantam habet Semicirculi *Diameter*; cum *Prominentia* retrorſùm a Centro, ad cujus Extremitatem ſunt duo *Manubria* : ab alterâ parte *Plumam* cum *Cochlea* habet Regula, ubi in *Quadrante parvo* coercetur ; ut in *Loco* ſtato, ubicunque lubuerit, permaneat *Regula*, donec numerata fuerit *Altitudo* in quâcunque *Limbi* parte.

Hoc Inſtrumentum undiquaquè *Laminis* orichalcicis eſt veſtitum, & habet ſuperiùs *Tres Imagines*, Ornatus tantum gratiâ. Earum ſuprema eſt ipſius Uraniæ *Virginis*, decoræ ac formoſæ, Aſtra ſublata intuentis ac Manu dexterâ Cœleſtium Revolutionum Sphæram attollentis, quæ eſt in *Aſtronomia* Hieroglyphicum peculiare: ab Ejus Dexterâ ſita eſt inferiùs *Arithmeticæ* Imago, ſicut a Siniſtrâ ſtat *Geometria*; utraque venerabunda *Uraniam* ſuſpicit, ut Astronomiam omnium Artium liberalium ſupremam eſſe indicaretur, & quaſi Reginam, haſce duas, præ cæteris, Miniſtras ſibi adſciviſſe.

Infra hunc Semicirculum eſt *Horizon Azimuthalis*, ex ſolido Chalybe fabricatus, 4 Cubitos in Dimetiente habens, & ſuperiùs in ſuos *Gradus* ac eorum *portiunculas* aptè diſtributus; habens quoque in Medio duo *fortia Ferramenta*, decuſſatim ſeſe in Centro interſecantia, circà quod Centrum, etiam, totum Inſtrumentum circumgyratur ; appoſitis ab altera parte ſuſtentaculis ferreis, quæ *Illud* perpetuò *Horizonti* ad angulos rectos contineant.

Infra

Infra Horizontem ferreum ſunt quinque *Columnæ*, quarum una in Meditullio *infra Centrum* conſiſtit, Reliquæ *Circumferentiam* portant, omneſque ſuperiùs habent *Cochleas perennes*, quæ per parva Manubria hinc inde circumducta, ſurſùm vel deorſùm truduntur, donec *Circulus Azimuthalis*, iis innitens, *Horizontis Æquilibrium* exactè imitetur, ſicut *Semicirculus* ſuperſtans Planum imitatur alicujus *Verticalis*.

IX. INSTRUMENTUM PARALLACTICUM ſive REGULARUM, quod, aliàs, *Regulas* vocant *Ptolemaicas*; ſiquidem paucis Requiſitis, *tribus*, nimirum, *Regulis*, Stellarum a Vertice *Diſtantias* harum que *Altitudines* ſuccinctè metitur. Ejuſcemodi Inſtrumento, è Ligneâ materiâ totaliter conſtante, Me donavit (ait *Tycho*) Anno 1584 *Johannes Hannovius Canonicus Warmienſis*, (ubi antea vixerat *Copernicus*) eò quòd olim ad incomparabilem *Copernicum* pertinebat, atque ipſius Manibus elaboratum fuerat: Et paulò poſt, ad Ejus Imitationem, quoddam aliud *Laminis* Orichalcicis inductum confieri feci, Paucis quibuſdam, uſûs commodioris Gratiâ, mutatis & ſuperadditis. Harum trium Regularum *prima* verſùs *Zenith* attollitur; *Altera* ſuperiùs priori aſſociata, atque in tereti *Orichalco* convolubilis; & ambæ ejuſdem Longitudinis, modo Longitudo capiatur in quodam puncto *Regulæ tertiæ*, nempè quælibet Regula fuit 4 Cubitorum; *Altera* verò eſt aliquantulùm producta & bifurcata, ut aliam *longiorem* Regulam intra ſe contineat & coërceat; *Tertiam*, nimirùm, *Primæ* inferiùs annexam & ibi convolubilem: atque *hæc* Tertia eam habet Longitudinem, quæ requiritur quando *duæ reliquæ*, ſive earum bina Latera, Angulum rectum comprehendunt, ubi nimirùm *ſecunda* Regula ita ſublata eſt, ut Horizontis *Æquilibrium* reſpiciat; in cujus etiam Regulæ extremitatibus ſunt *Dioptræ* quæ rem expediunt per *Rimulas* priori *Pinnacidio* parallelas, ſuprà & infrà, modo a Nobis invento. In *Copernicano* autem Inſtrumento erant, loco Horum, *Foramina*, per quæ *Stellæ* difficillimè viſuntur; ideoque incertum fuit inter Obſervandum an *Stella* exactè in Foraminis *Centro* conſpiciatur, nec ne? atque ſic aliquot foret Minutorum Jactura; ut mirum ſit, quomodò non ſolùm *Copernicus*, ſed & omnes *Veteres* qui talibus utebantur *Dioptris*, aliquid Certi (etiamſi Cætera rectè ſe haberent) ſic aſſequi potuerint! In *Tertia* Regula ſunt tot *Diviſiones Æquales* per puncta tranſverſalia, ut

ultimum adimpleant Numerum *Canonis Sinuum*, *ſex Zyphrarum*, requiſito Loco, nempè in Eo qui primis *duabus* Regulis adæquatur, ut fiat *Triangulum* Æquilaterum. Regula *prima*, quæ Verticem reſpicit, interiùs *Cavitatem* obtinet quandam cum longis *Janiculis*, in qua eſt *Filum* tenue orichalcicum cum *Plumbeolo*, ad monſtrandum hoc Latus *Verticem* exactiſſimè reſpicere: idque efficitur per *Cochleas* in *pedeſtali* inferiores, quæ *Ferreolis* circumgyrantur. Inhærent enim *hæ tres* Regulæ cuidam *Columnæ* quæ *Pedeſtali* inſiſtit; ita ut rotundis *Claviculis* hinc inde convolvi queant.

X. Parallacticum *aliud*, ſive Regulæ *tàm* Altitudines *quàm* Azimutha *expedientes*, quas antea in quâdam *Turri* extruxit *Tycho*, eamque totam ſuâ Circumgyratione (quando opus eſt) adimplentes; idque peculiari quâdam Ratione, partìm vetuſtiſſimum *Hipparchianum* (ut fertur) Modum imitante, partim verò *Novis meis Additionibus* fabricatum, ait vir Magnus. *Prima* & fundamentalis *Regula* eſt ad *Horizontis* Planum diſpoſita, &, prout opus fuerit, revoluta, quæ ſua Longitudine 8 $\frac{1}{2}$ *Cubitos*, adæquat, ſive 12 Pedes cum 9 Digitis continetque in ſuperiori ſuâ ſuperficie, *Canonis Sinuum* numeros, artificialiter per *Puncta* tranſverſalia, meo more diviſos, ſex *Zyphrarum* bis numeratos. Huic adæquantur *binæ aliæ* Regulæ ſimul ſumptæ, quum, videlicet, Eidem applicantur, quarum quælibet 4 $\frac{1}{2}$ *Cubitos* in Longitudine continet: Una quidem inferiùs annectitur principio Regulæ *Longioris*, ut in eo attolli deprimique poſſit, ſimulque ſecum trahere *alteram* ſive poſteriorem, eidem convolubiliter affixam. In his autem *duabus* minoribus *Regulis* nullæ ſunt *Diviſiones*, tantùm prior habet *Dioptras* & *Pinnacidia* ad ejuſdem Extremitates, per quæ *Collimatio* fit Rimulis undiquaque parallelis, ut tam in *Altitudinibus* quam *Azimuthis*, quaquaverſùm circà hæc fiat *Collineatio*. Omnes hæ *tres* Regulæ ſunt ubiquè *orichalcicæ*, ſubtiliſſimè levigatæ & expolitæ, *quadrilateram* obtinentes formam Juſtâ Magnitudine, ne ſint Incurvationi obnoxiæ: quibus additum eſt *Extans* quoddam *Suſtentaculum*, quod etiam inferiùs ſuum habet *Fulcimentum* cum *Cochleâ*, quæ, Fulcimentum in ſubſtructo totius Inſtrumenti *Baſimento*, ad circularem *Laminam* undiquaquè dirigit, ne ſuo ſe pondere aggravet. *Extantis* ſtructura, verſùs τῷ *Zenith*, id habet Commodi, ut *Regulas* attollat, pro Libitu, & remittat, ac in

ſuo *Plano* coerceat, ne hinc indè diſtrahantur. Attolluntur autem & remittuntur intermediante *Funiculo*, qui ſuperiori *Extantis* Parti fixam habet *Rotulam*, in qua aptè trahitur; *primæque* Regulæ annectitur. Inſtrumenti *Situs* Perpendiculo a Tergo *Extantis* examinatur; an, videlicet, *prima Regula* Horizontem exactè reſpiciat, & an *Extans* ſit eidem *orthogonalis*; quamvis idipſum ex alio Perpendiculo, a Junctura duarum Regularum pendente, ſcrutari liceat. Porrò ne *Regulæ* hinc inde vacillent, additi ſunt Illis utrinque *duo Quadrantes*, Orichalcicis Laminis inducti, trium fermè *Cubitorum* a Centro ad Circumferentiam; intra quos *prior Regula* continetur & movetur; appoſitâ in eorum Medio *Plumulâ* tenaci. Tandem extima *primæ Regulæ* pars *Muro* circulari incumbit, 12 *Cubitorum*; ubi etiam Circulus eſt *Azimuthalis* orichalcicus, convenienter ſubdiviſus & Superficiei *Horizontis* analogus, ac *Baſimenti* Altitudini correſpondens. Hoc Organum, *prioribus* Regulis Majus & ſtabilius, eſt *Altitudinibus* capiendis aptius, non verò *Azimuthis*.

XI. Armillæ Zodiacales. *Armillare* Inſtrumentum, ad Stellarum Longitudes & Latitudines monſtrandas, *Hipparcho* quidem ac *Ptolemæo* in uſu erat, & ab iis denominatum; in quo tamen Nonnulla ab iis uſurpata, Commoditatis gratiâ immutavit *Tycho*; cujus *Machina* quatuor, ſaltem, *Armillis* circularibus conſtat (quum Prædeceſſores *quinque* vel *ſex* habuerint) quarum Prima eſt *Meridianus* trium *Cubitorum*, *cœleſti* Meridiano analogus, cum Æquatoris *Polis* ritè diſpoſitis, qui attolluntur & deprimuntur, donec *Latitudini* ejus Loci, in quo ſit Obſervatio, exactè correſpondeant; quod quidem a *Perpendiculo* exploratur ſuperiùs Juxta *Zenith* appenſo, ubi *Meridiani Diviſio* Complementum habet *Altitudinis Poli*; & tantundem etiam inferiùs a *Polo* altero removetur *Perpendiculum*. Hic autem *Meridianus* ex ſolido conſtat Chalybe, ut, ſcilicet; *alias Armillas*, intra ſe contentas firmiùs ſuſtineat; quarum prima, *alteram*, *Zodiacalem* nempè, tranſverſim portat, ejuſque *Poli* tantum a priùs dictis *Æquinoctialibus* diſtant, quantum differunt Poli *Eclipticæ* & *Æquatoris*; ſive maxima *Zodiaci Declinatio* eſt partium 23. M. 31 $\frac{1}{2}$ a Nobis (ait *Tycho*) aliquotiès exactiſſimè deprehenſa, paulò aliter quam Prædeceſſores deprehenderunt. Per hujus

Zodiaci

Zodiaci POLOS tranſit *Canalis* teres orichalcicus, habens in *Centro* CYLINDRUM, quibus Nobis, integræ *Armillæ* Veteribus uſurpatæ, Commoditas ſuppletur. Quin & *alia Armilla*, Latitudinibus inſerviens cum quatuor *Pinnacidiis* rimoſis orichalcicis, circa eoſdem *Zodiaci* Polos, intra tamen *Alteram*, ſive *Zodiacalem*, convolvitur. *Zodiacali* etiam *Armillæ* infiguntur *quatuor* ſua *Pinnacidia* rimoſa, more conſueto, & orichalcica; ſicut omnes Armillæ *Orichalco* ſunt obductæ, & *Diviſiones* habent Graduum, in parte exteriore, per *Puncta* tranſverſalia Nobis uſitata factas. Atque hæ *Armillæ Pedeſtali* inſiſtunt, in cujus ſummitate *Foramen* eſt pro recipiendo Perpendiculi *Plumbo*; & hoc *Pedeſtale* ita eſt fabricatum, ut totum *Inſtrumentum* attolli & deprimi poſſit, & omnes ejus *Armillæ* Circulis Cœleſtibus, per *Armillas* repreſentatis, ad amuſſim in ſuis *Planis* & *Ductibus* correſpondeant. Requirit autem hoc Organum *Turriculam*, cujus *Tectum*, dimidiâ ſui Parte, inter Obſervandum, auferri queat, & reliqua Pars, prout lubuerit, circumgyrari.

Alterum fuit veteribus Organum, ab *Arabibus* quidem & *Chaldæis*, excogitatum, uſurpatum, dictumque TORQUETUM; quod in *Planis* Superficiebus *Circularibus* idem præſtat ac Prius in *Armillis* præſtitum eſt. *Hoc autem* (inquit *Tycho*) *necdum confieri volui*; *quia ſi Machina requiſitam habeat Magnitudinem, ſuo ſe Pondere aggravet, atque uſui inhabilis erit*: Cujus, nihilominus, Fabricam, ſi Quis deſiderat, *Opus Aſtronomicum Cæſareum* APPIANI, circa Finem conſulat, ſive SCHONERI *Libellum de Eodem*, præfixum Obſervationibus clementiſſimi viri *Regiomontani*, atque ipſius Diſcipuli WALTERI Civis *Norinbergenſis*: Ibi voti Compos reddetur.

XII. ARMILLÆ ÆQUATORIÆ, ſunt tres ſolummodò *Armillæ*, cum *Axe* quodam tereti, quæ tam *Æquatorias* SIDERUM Diſtantias, quam *Declinationes* metiuntur. *Prima* Earum & maxima, cæteras continens & ſuſtentans, *Meridiani* vices ſupplet, habetque in Diametro *quatuor* fermè Cubitos ſive ſex Pedes: atque hinc *Cæteræ* interiores æſtimandæ; nam ad Ejus Planum diſponi & regulari debent. *Axis* revolvitur cum *Armilla interiore*, Declinationibus dimetiendis inſerviens, in cujus Medio (ſive omnium Armillarum *Centro*) CYLINDRUS *Axi* orthogonaliter infigitur, ejuſdem Magnitudinis, ſive Diametri cum *Axe*. *Axis* attollendus eſt cum ipſo *Meridiano*

(quem

(quem diametraliter tranſit) donec in ejus Diviſionibus, minuta ſingula habentibus, *Perpendiculum* ſuprà & infrà contingat *Complementum* Altitudinis *Poli* ejus Loci; ſitque *uno Plano* Meridiani æquidiſtans, ſive *Meridianum* utrobique leniter contingens. *Interior Armilla* Declinationibus inſerviens, & *Axis* Extremitatibus intra *Meridianum* annexa, aliquandò Meridiani *Plano* uniri poteſt, & rurſus intra *hunc* in quaſcunque Partes circumvolvi; prout *Stellæ* obſervandæ ſitus requirit. In duobus Locis (ubi *alteram* ambit *Armillam* ad Angulos rectos) habet exteriùs Laminam, ipſos *Gradus* & *Minuta Æquatoris* utrinque indicantem; habetque ſua *Pinnacidia* in quatuor Locis, ſive *Quadrantibus*, cum *Rimulis* parallelis, ac *Cylindro* æquidiſtantibus; & ſinguli hi *Quadrantes* in 90 *Gradus* cum *Minutis* 60 diviſi ſunt, more uſitato, & ſæpiùs per Puncta tranſverſalia indicato. *Altera* verò *Armilla tranſverſalis*, Æquatoris Munia ſuſtinens, duobus oppoſitis Locis *Meridiano* firmiter annectitur ad Angulos rectos, & in eo quieſcit immota; habenſque, in exteriore ſui parte, omnes *Gradus* cum *Minutis*, & quatuor *Pinnacidia* (ut in priore) orichalcica. *Meridianus* totus eſt *Chalybeus*; ſed *binæ Armillæ*, decuſſatim ſeſe intra hunc tranſeuntes, a poſteriori tantùm ſui parte Orichalco imbutæ ſunt (ubi *Diviſiones* exiſtunt) quo Minus haberent ponderis: ſunt nihilomninùs Aſſerculis ligneis, in rotundam partem coactis, & multipliciter bituminatis, tam artificialiter compoſitæ; ut non ex *uno* ſolido conſtent Ligno, ſed *pluribus* in Oblongum tenuiter levigatis, atque hac Cautione ad invicem agglutinatis, ut prout *Unum* crevit in Altum, *Reliquum* contrario Modo Illi applicetur; eâ, videlicet, parte quæ *Cacumen* & *Radicem* reſpicit, univerſâ Materiâ adinvicem commutatâ: Lignea enim Materia Incurvationi & Mutationi ſunt minùs obnoxia, præcipuè autem Lignum *Iuglandis* & iſtius *Abietis* quam Germani *Feuchtenholtz* (ſive *Lignum Succidum*) vocant; ſi vitioſum non ſit ac diù exſiccatum. Poſtmodùm verò ſic variis Laminulis ligneis conglutinatæ *Armillæ*, ac in juſtam Formam & Magnitudinem deductæ, Linteolo tenui, aut Membranâ ipſis agglutinatâ, circumducuntur; & Minio *Ceruſſæ* mixto cum *Oleo Lini* incruſtantur & colorantur, ut minùs Aeris Mutationem ſentiant. Porrò, totum Organum *Pedeſtali* ligneo innititur, cum *Cochleis*, quibus dirigitur in requiſitam Diſpoſitionem cœleſtibus, quos imitatur, *Circulis* analogam; ubi

ubi etiam quatuor *Ferramenta* ſunt verſùs mediam & externam *Meridiani* partem, loco Fulcri; nè hinc inde vacillent *Armillæ*: & *Pedeſtale* in modum Semicirculi rotundum eſt, ubi *Meridianum* contingit; quâ etiam de Cauſâ quatuor *Tenacula* metallica *Meridiano* apponuntur, intra quæ comprehenſus, ſenſim & tenaciter circumduci poteſt, donec ejus *Axis* Mundi *Axi* correſpondeat. Tandemque in *Pedeſtalis* Lateribus, Ornatûs gratiâ, ſolerter appictæ ſunt Effigies PTOLEMÆI, ALBATEGNII, COPERNICI & *ipſius* TYCHONIS: ſub *Copernico* ſcriptus eſt Annus 1520, & ſub *Tychone* 1580.

XIII. ARMILLÆ ALIÆ ÆQUATORIÆ ejuſdem Quantitatis, quarum Exterior *Meridiani* vices ſuſtinet, ac tota chalybea optimè levigata, & Diviſionibus competentibus diſtributa, in qua Cætera quoque, quoad *Perpendiculum*, *Polos* & *Axem* intelligenda veniunt, prout in prioribus: intra quam etiam continentur *Tres aliæ Armillæ* (eò quòd *Æquator* ſit Circumvolubilis) cum *Axe* tereti & *Cylindro* ei infixo, quæ etiam *unius Armillæ* vices commodè ſupplent; quarum *Prima*, e puro Chalybe conſtat, ut cæteras ſuſtentet & Orthogonaliter cohibeat, nullis tamen *Diſtinctionibus* inſignita. *Altera Armilla* cum *Pinnacidiis* quatuor, *Æquatoris* vices obtinens, ſuas habet *Diviſiones* uſque in ſingula *Minuta*, tàm ab unâ quàm alterâ ſuperficie; prout vel *Æquatoriis* Diſtantiis, vel etiam temporariis *Momentis* diſcernendis Uſus poſtulat. *Tertia* verò Armilla, cum ſuis *Pinnacidiis*, *Declinationibus* rimandis idonea, eſt intra *Æquatoriam* (quam Orthogonaliter tranſit) convolubilis; ut in Loco ſui contactus, *puncta* etiam *Æquatoria* indicet, convenientibus *Laminulis*: *Diviſiones* quoque inſunt, ſingulis *Quadrantibus* minutatim competentes. Atque hæ *tres Armillæ* ſunt undiquaque orichalcicis Laminis ſubtiliter ſuperinductæ; *Axis* quoque teres eſt orichalcicus, uti & ipſa *Pinnacidia*, & *Perpendiculum* e *Filo* conſtat tenui orichalcico: cætera autem ſunt, prout in prioribus Armillis. Incumbunt *hæ* Armillæ *Pedeſtali* chalybeo, cujus ſuperior pars eſt *Semicircularis*, ut ipſum *Meridianum*, ab inferiori parte, continuè ambiat & ſuſtineat, additis quatuor *Tenaculis*, ut in priori. *Reliqua* hujus *Pedeſtalis*, ornatûs & Fulcri gratiâ adduntur, cujus infimus ſubſtratus *Circulus* craſſus & ferreus, a quatuor ſuis æquidiſtantibus Locis, *Cochleas* habet, quibus in Lapide quadrato ſubſteruuntur quædam parva *Firmamenta*, ut in iis

Cochleæ hæ circumductæ, totum Instrumentum eò dirigant quò *Armillæ* Cœlestibus analogæ requiruntur, intermediante *Perpendiculo*, Quod & *Planum* Meridiani *Mechanici* cum Cœlesti unit, & ejus insuper Dispositionem, ratione *Elevationis Poli*, ordinat; adeoque omnes *interiores* Armillas, Cœlestibus *Circulis*, quos æmulantur, analogas reddit. Estque tota Machina in seipsâ satis robusta, nec Alterationi facilè obnoxia, quum undiquaque sit metallica.

XIV. Armillæ Æquatoriæ maximæ, *sesquialtero* constantes *Circulo*, & paucioribus Requisitis indigentes, utpotè *unicâ* tantùm *Armillâ* integrâ convolubili, & alterâ semicirculari quiescente; quibus duabus omnia, æquè ac Prioribus, non saltem commodè expediuntur, sed & longè promptiùs, nulloque Obstaculo, quod Priores ingerunt, si propè ipsam *Armillam Æquatoriam* fieri debeat Collimatio; tunc enim anterior ejus pars Intuitui obstat, sicut etiam in *Declinationum* Armillâ, propè ipsum *Æquatorem*, difficilis est Collimatio; ut de aliis quibusdam Impedimentis non dicam, *inquit Tycho*. Insuper *hæ Armillæ aliis longè majores*, Gradus cum eorum Divisionibus magis adhuc disertè exhibent, suâque stabilitate & Convolutione usui sunt magis accommodæ *hæ ingentes & apprimè compendiosæ Armillæ*. Earum *maxima*, undiquaquè Laminis orichalcicis munita, in *Diametro* habet *septem* Cubitos, sive *Pedes* 10 $\frac{1}{2}$; ideoque *Gradus* tantos, ut singula *Minuta* quadrifariam subdividantur. Ejusdem *Axis*, e Chalybe constans, undiquaquè apprimè teres, interiùs tamen cavus, nè pondere officiat, est in *Diametro* trium *Digitorum*, cui circà Meditatem affigitur *Cylindrus* teres orichalcicus, circa quem, proximè apud *Axem*, volvuntur utrinque *binæ Regulæ* orichalcicæ, & ad extremam partem *unius* Regulæ, apud *Armillæ* superficiem, sunt *Pinnacidia* per *Dioptras* Rimarum ipsi *Cylindro* parallelarum. Inferiùs desinit *Axis* in Acumen teres, ex *Ferro* quadrato chalybeo, habens simile acuminatum Foramen quod per *Cochleas*, hinc inde appositas, potest paululùm trudi, quò lubet. Atque huic innititur *Axis* ille teres unàque convolvens totam *Armillam*; ipsum verò *Ferrum* huic substratum infigitur *Columnæ* lapideæ magnæ & longæ 4 *Cubitorum* sive 6 Pedum, quorum *Duo* Cubiti infra Terram firmo Fundamento instant; reliqui duo superiùs, habentes, ab anteriori parte, Atlantis

Mauritaniæ

Mauritaniæ Regis *Effigiem*, in eodem Lapide artificialitèr excisam, qui Coronâ suâ contingit *Globum* lapideum *Columnæ* superiùs, ornatûs Causâ, impositum, & cui Globo affigitur *Ferrum* prædictum: suprema veró *Axis* pars alteri *ferreo Fulcro* incumbit, quod superiùs habet *Cochleam* & inferiùs bifurcatum est, transitque in duos Ramos, quorum quilibet magnæ *Columnæ* tereti, e solido saxo, fortiter affigitur; & hæ distant Columnæ ab invicem, ut *Januam* Ingressui ad *Instrumentum* præbeant: *Cochlea* verò transversum agit *Ferreum Fulcrum*, ut *Plano* Meridiani correspondeat *Axis*; aliâque Ratione attolitur *Axis* & superiùs & inferiùs, & movetur tenaciter, donec *Axi* Mundi exactissimè respondeat, sicque firmatur. *Altera* Armilla est *Semicircularis* & *quiescens*, & *octo Columnis* lapideis ad *Planum* Æquatoris immotè sustentatur, *Tenaculis* totidem ferreis, quæ illam ita cohibeant dirigantque, donec & exactè *Semicirculum* circa *Medium* Axis designent, & insuper secundùm *Æquatoris* Planitiem sese constanter inclinent. Est etiam undiquaque Orichalco induta, ejusque *Diameter* est 9 Cubitorum sive Pedum 13 ½ ideoque Minutissimarum Divisionum capacior est alterâ Armillâ: atque inter utrasque commodè transeundum est, & per *Scalas* etiam extra *Armillam* lapideas adscendit ac descendit *Observator*; sicut interiùs *aliæ* sunt *Scalæ* rotundæ, quibus adscenditur ac descenditur inter observandum. *Murus*, tandem, circumcircà totum Instrumentum ambiens, *Turriculam* quandam & *Semicryptam* efficit, quæ superiùs *Tectum* habet, quod aperiri & claudi potest, ut præciosa hæc *Machina* ab *Aeris* & *Imbrium* Injuriâ tuta sit.

XV. Arcus Bipartitus *minoribus* Siderum *Distantiis* inserviens, est *Regula* oblonga 4 Cubitorum ab una Extremitate in alteram: apud unam Extremitatem est *Regula transversalis*, quæ ad Extremitates suas habet *duos Cylindros*; & ab altera Extremitate *Regulæ oblongæ*, ducuntur inferiùs *bini Arcus*, quorum Quilibet ultra Æquidistantiam Semissis *Regulæ transversalis*, utrinque *Quindecim* efficit *Graduum*. Præter *Contignationes* proprias, habet *Fulcrum* teres & crassum, sub *Medio* Regulæ oblongæ, habensque in Medio, ubi *Æquilibrium* est, *Foramen quadratum*, ubi suo Fulcro in quadratâ etiam *Claviculâ* imponitur. *Fulcrum* verò, propè unam suam Extremitatem & alteram, habet *rotundas Laminas* fer-

reas,

reas, quæ, in ſubſtrato tereti *Cylindro*, Spitamum ad minimum in Diametro habente, convolvuntur, *Plumulis* e quatuor partibus tenaciter ipſum ſuſtinentibus, ut quovis in Situ facile ſubſiſtat; atque hac Ratione volvitur hoc Inſtrumentum ſurſùm tantùm ac deorſùm: ſi verò ad *Latus* inclinandum ſit, id fiet, circumducto *Semicirculo* (qui ſub *Fulcro* exiſtit & ejus Extremitatibus annectitur) per ſuam *Cochleam*. Poteſt etiam convolvi in omnes Cœli partes per *Canalem* quæ ſub *Medio* Fulcri exiſtit & in *Pedeſtale* inſiſtit; in quo etiam cum toto *Inſtrumento* circumvertitur, ut *Id* in quarumvis Stellarum *Planum* dirigi poſſit, prout Obſervationis Ratio requirit. Poteſt etiam ejuſdem Canalis *interior Axis*, unà cum *Ipſo*, adeoque cum innitente Inſtrumento, altiùs in ſubjecto *Pedeſtali* attolli, atque ſic figi immotè, prout uſus exigit: deſcendit enim, intra quadrilateram *Pedeſtalis* Formam, *quadrilaterum* quoque ſolidum *Lignum* quod ſurſùm ferri atque remitti, &, ubicunque lubet, firmari poteſt; ſicque unà attolli ac deprimi Inſtrumentum, veluti *Stellæ*, quarum Intercapedo rimanda eſt, altiores vel decliviores in *Cœlo* fuerint. In Limbis autem *Inſtrumenti*, ubi ſunt *Diviſiones*, tum quoque in Tranſverſali & *Cylindris*, omnia ſunt orichalcica; Contignationes & *Fulcra* ſunt ex Ferramentis affabrè elaboratis; Reliqua *Lignea* ſolerter compoſita & Metallicis *Laminulis*, ubi opus eſt, munita.

Hoc Inſtrumento (ait *Tycho*) exploravi, potiſſimùm, Stellarum in *Caſſiopææ* adinvicem Diſtantias; quæ exponuntur *Progymnaſmatum noſtrorum Aſtronomiæ Inſtaurandæ Capite Quarto pag.* 145, eaſque cùm priùs Inventis, dum adhuc duraret *nova Stella* (cujus gratiâ Illæ depromptæ ſunt) contuli, atque ritè ſe habere deprehendi. Porrò ſi Quis Inſtrumentum quodcunque habuerit, quo ſe *Diſtantias Siderum* rimari poſſe exiſtimet; faciat periculum in iiſdem *Caſſiopeæ* Stellis, an eandem, quam citato loco annotavimus, invenerit Illarum *Intercapedinem*, in ipſo *Minuto*, adeoque ejus *ſemiſſe*: aliàs ſciat, Inſtrumentum illud, quo utitur, & Obſervandi Rationem nequaquam rectè conſtare.

XVI. Sextans Astronomicus Ttigonicus *pro Diſtantiis rimandis* & Siderum *Intercapedinibus* cælitùs ſcrutandis idoneus, citrà omnem Hallucinationem; cujus *Centrum* habet *Cylindrum* orichalcicum rotundum & quieſcentem; & ejus Cir-

 cumferentia,

cumferentia *sextam* Circuli partem continens, a *Centro* removetur *Lateribus* quatuor Cubitorum: atque a Centro ad Circumferentiam applicatur *Regula* cum suo *Pinnacidio* orichalcico, quod *Rimulas* habet *Cylindro* parallelas; poteſtque *Regula* in *Circumferentia* hinc inde duci & firmari. Alter *Cylindrus* etiam quiescens, priori æqualis, eſt ad unum *Latus*, circà unum *Cubitum* a *Centro* positum, cui deſtinatur aliud *Pinnacidium*, additum vel remotum, prout Uſus poſtulârit. In medio verò *Contignationum*, & quaſi in *Æquilibrio* totius Inſtrumenti, *Foramen* quadrilaterum tranſit, ut ejus Beneficio imponi poſſit *Sextans Fulcro* inferiori, & peractâ Obſervatione, removeri. *Limbus* ejus, undiquaque orichalcicus, *Diviſiones* habet tranſverſales cum ſingulis *Minutis*. Reliqua *lignea* ſunt, ſed tam affabrè ex variis Partibus compoſita & conglutinata (prout jam antea in *Armillarum* Explicatione indicatum eſt) ut incurvari, aut juxtà *Aeris* Mutationem, alterari, nequeant; ſuperinducto etiam Linteolo Colore *Oleavinoſo*: ſi enim omnes ejus partes Laminulis *metallicis* obtegerentur, nimio pondere intractabile redderetur *Inſtrumentum*, & ſibi ipſi in *debito Plano* retinendo noceret. Hujus Organi *Fulcrum* ſic ſe habet: *Globus* eſt apprimè rotundus & Laminulis *cupreis* incruſtatus, cujus *Diameter* eſt paulò plus *duobus* Pedibus, in quem hic *Sextans* incumbit juxta *Foramen* prædictum. Circà *Globum* ſunt *quatuor* Ferramenta ſemicircularia, rotundam quandam *Armillam* ferream comprehendentia, *octo* in Locis, circà *Medium* Globi, quæ *uno* Digito diſtant a Superficie Globi, cum *octo* Cochleis ferreis, quæ *Laminulam* rotundam *Globo* adigant. Exteriùs *Quadrato* quodam *Ferro*, interiùs autem *Cavo* cuidam *quadratæ Columnæ ligneæ* affigitur Globus; quæ Columna *Pedeſtale* tranſit inferiùs, ut in Eo attolli deprimique poſſit, aut certo loco firmari. In *Declivioribus* enim Diſtantiis capiendis demittenda eſt *Columna* & in *Altioribus* elevanda, ut *Collimationes* ſine moleſtia perfici queant: porrò *duo* oblongi teretes *Baculi*, acuminatum Ferriculum habentes, ſunt additi, qui decuſſatim ſeſe tranſgrediuntur, ut omnia firmiùs permaneant.

XVII. Sextans Chalybeus *pro Diſtantiis per* Unicum Observatorem *dimetiendis*, qui poteſt *Cochleis* disjungi, & in *alias Regiones* transferri; cujus *Arcus* in 60 *Gradus* cum *Minutis*, more ſolito, diviſus eſt; & ejus *Regulæ* in *Centro*

cooptantur circà *Calvum* rotundum, ut ampliari vel coarctari queat, instar *Circini*, per *Cochleam* quæ *ambas* Regulas transgreditur. Unaquæque *Regula* habet suum *Manubrium* propè *Cochleam* prædictam, & suum *Pinnacidium* apud *Arcum*, per quod *Oculus* ad Centrum directus, *duas* simul *Stellas* observat, beneficio *Cochleæ* prædictæ per quam *Angulus* amplicatur vel coarctatur, dum *Arcus Distantiam* quæsitam ostendit; nisi quòd *Parallaxis* Instrumenti proveniens, hinc subtrahenda sit; quamvis aliud *Medium* postea fuit inventum, ut paralleliter fiat *Collineatio*, non minùs quàm in cæteris *Dioptris* & *Pinnacidiis*; sicque *Parallexeos* subtractione non erit opus. Hujus autem *Sextantis* utraque *Regula* est Cubitorum circiter *trium* sive Pedum 4 $\frac{1}{2}$, quibus *Arcus* subtensus coæquatur. Totus *Sextans* e solido Chalybe constat, exceptis *Pinnacidiis orichalcicis*; sed *Fulcrum* & *Pedestale* in hunc Modum se habet: Basis *lignea* decussata *Terræ* firmiter insistit, cui insigitur *cavum Crus*, in quod longa descendat *Cochlea*, per quam & aliam, *Perennem* dictam, totum *Opus* attollitur vel deprimitur, unàque ipse *sextans*; utraque verò *Cochlea* e solido Ferro constat, sicut & tota superior *Fulcri* pars, quæ est instar *Columnæ* rotundæ & *cavæ*, cum *Capitello* quadrilatero, e quo *Apex* quidam egreditur, cui longum Ferrum adhæret, quod ipsum *Sextantem* sibi infixum portat, qui per ejus totam Longitudinem extendi potest. *Capitellum*, *Rotularum* Artificio, ita concinnatum est, ut quandò ipsius *Cochlea* vertitur, tum *Apex* ille per interiorem *Rotulam*, oblongum *Ferrum* (unà cum toto sibi inhærente *Sextante*) ad *binarum* Stellarum *Situm* hinc inde lateraliter inclinet. Sextantis *Centrum* alteri *Arcui* ferreo insigitur; sed hæc omnia oculari Intuitu & Tractatione meliùs percipiuntur. Hoc Instrumento usus est *Tycho* in *Syderum* Intercapedinibus scrutandis, præsertim in Observationibus *Cometæ* Anni 1577. Ideoque *(ait Tycho) in Libro quem luculenter hac de re conscripsimus, circa Finem, hic* SEXTANS *describitur a pagina* 459 *usque ad* 461*: atque quum* Paulus Wittichius *insignis Mathematicus* Vratislaviensis, *Anno* 1580, *apud me hunc* Sextantem *vidisset, eum postea Illustrissimo Principi* GULIELMO Hassiæ LANDGRAVIO Cassellis *aperuit, qui per suum artificiosum Automatopæum, tale mox Instrumentum confici curavit, alteratis quibusdam, sed* Divisionis *Formâ eâdem retentâ. Egregia verò est hujus Organi comprobatio*;

comprobatio; *nam* Diſtantiæ *per illud* Caſſellis *facta*, *omnino in* Ipſo Momento *ejuſque* ſemiſſe *conveniunt cum* iis *quos nos in* Dania *noſtris Sextantibus peregimus: velut* ex *Epiſtolarum Aſtronomicarum Noſtrarum Tomo Primo*, *liquet*.

XVIII. ALIUD INSTRUMENTUM pro Diſtantiis, *Priori* SIMILE, *Auguſtæ Vindelicorum* in *Tychonis* Adoleſcentia paratum, ex *ligneâ* Materiâ, & *Fulcro* deſtitutum, quum Levitate ſuâ aliàs utcunque tractabile eſſet: *atque exinde diſcedens* (inquit Tycho) Conſuli PAULO HAINZELIO *horum Studiorum Amantiſſimo hoc Organum reliqui*; *quum autem reverſo mihi in Patriam*, *nova illa & ſupra Modum admiranda* Stella *mox cælitùs illuxiſſet*, *pro ejus Diſtantiis a Vicinis* Caſſiopeæ *Stellis ſubtiliter denotandis*, *aliud confieri curavi*. ARCUS ejus in quo ſunt *Diviſiones* eſt ex ſolido metallo, ſed non nimis craſſus aut latus, ne Pondere noceat; atque *duodecimæ* ſaltem Partis unius *Circuli*, ſive *Graduum* 30 Longitudinem habet; eò quòd pro *Minoribus* Diſtantiis (quales hæ erant) ſic ſufficeret, nec ſuâ Longitudine gravis & moleſtus foret: poſſunt, nihilominùs *alii Arcus*, ſive ampliores, ſive breviores, Ei applicari. *Binæ Regulæ* ad *Centrum* conjunctæ, & ibi ad invicem convolubiles, ipſamque *Circumferentiam* continentes, 4 Cubitorum *Longitudinem* habent, *Latitudinem* verò *trium* Digitorum & *Craſſitudinem duorum*: ſunt enim *Quadrilateræ*, ex *Ligno* conſtantes apprimè ſicco, nempe ex *Iuglandum* Arbore; & ad Centrum metallico *Clavo* copulantur; *Foramine* etiam & *Laminulis Æneis* confirmantur. Ad Regularum *Extremitates* apud *Arcum* ſunt *Pinnacidia* orichalcica, quorum *interius* Latus, *interiori* Regularum Superficiei præciſè correſpondet; & ab altera Parte *inferiori* Cochlea eſt, quâ *Pinnacidium* mobile, peractâ Obſervatione, firmatur, donec Numeratio in *Limbo* facta ſit. Quin & alia & oblonga *Cochlea binas* Regulas tranſgrediens, a *Centro* remota *duobus* quaſi pedibus, cujus Beneficio Inſtrumenti *Angulus* ad *Centrum* contrahitur & relaxatur, prout exigit *Intercapedo* dimetienda. Intra *hanc* Cochleam verſùs Centrum eſt quædam *Circumferentia* uni Regulæ affixa & alteram tranſiens, ut *ambas* in ſuo *Plano* cohibeat, ne ob *Longitudinem* non nihil diſtrahantur. Habet inſuper *duo Manubria*, ſed nullum *Pedeſtale*. Organum hoc iis *Aſtronomis* ſufficit, quibus operoſa illa & ſumptuoſa Inſtrumenta conſtruendi non ſuppetit Facultas; atque

hoc

hoc contenti, rectiùs & præcisiùs quàm ante hac, per *Radium Aſtronomicum* factum fuit, *Stellarum* ſcrutabuntur *Intercapidines*; modò Inſtrumenti *Parallaxes* ritè & expeditè præcaveant, ſecundum *Tabellam*, in hunc uſum, a me compoſitam & ab altera Inſtrumenti parte denotatam.

XIX. INSTUMENTUM *pro* ALTITUDINIBUS *capiendis* vel *rimandis inſerviens, cujus Circumferentia Circuli* SEXTANTEM *capit*; quo Altitudinem *Stellæ novæ* in *Caſſiopeæ minimam*, Anno 1572, quum in *Meridiano* infra *Polum* eſſet, ſcrutatus eſt TYCHO: *Maximam*, enim, quando *Vertici* appropinquabat, dimetiri eodem non licuit; ſiquidem, in noſtro *Horizonte*, admiranda illa *Stella*, quum ſupra *Polum* in *Meridiano* eſſet, non longè a *Zenith* diſtitit; ideoque intra *ſextam* Circuli *partem* ejus *Altitudo* comprehendi nequibat. Prima *Sextantis* hujus *Regula*, ſive inferior, in alta quadam *Feneſtra* ſupra *Murum* diſponebatur, ut præciſè *Meridiano cœleſti* correſponderet, qui Obſervationi adaptaretur; & huic ſuppoſitum fuit *Fulcrum* in Parte poſteriore verſùs *Centrum*, quod iſtam *Regulam* exactè cum *Horizontis Æquilibrio* elevaret; Idque hoc modo explorabatur: Inſtrumenti *Arcum* (inquit) cum ſuis *Regulis* ad *Meridiani Planum* dirigebam, ac in Fine altiori, ubi 60 Gradus deſinunt, appendebam *Perpendiculum* cum *Plumbo*, ac Regulam *Inferiorem* ſive *Fundamentalem* per *Cuneos* quoſdam prope *Fulcrum* poſitos, attollebam vel deprimebam, (prout opus erat) unàque totum Organum; donec Perpendiculi *Filum* orichalcicum præciſè *Punctum medium* inter ſextantis *Centrum* ac *Peripheriam* Diviſionis contingeret. Liquet enim inde quod Organi *Regula* inferior ſive *Baſis*, exactè *Horizonti* equidiſtarît: cum ex Elementis *Geometriæ* (*Euclid.* Lib. IV. Prop. 15) *Sextans Circuli* a *Centro conſtituat Triangulum Iſoſceles*, quod apparet per *Punctationem* ab Extremitate iſtius Regulæ in Feneſtra, ad Finem altiorem iſtius *Arcus*, ac deinde ad Organi *Centrum*: & quum *Filum* rectè deſcendens, *Baſin* bifariam ſecet, neceſſariò id ad Angulos rectos fieri, conſequitur (per Propos: 12. Lib. I.) ideoque *Regulam* ſive *Baſin Perpendiculo* eſſe Orthogonalem, ac in *Horizontis Æquilibrio* eſſe oportet, a quo *Vertex* undique Circuli *Quadrante* diſtat, qui *rectum Angulum* efficit. Omnibus ita ordinatis, attendi ad Pinnacidium Regulæ ſecundæ apud *Arcum*, donec, Motu Univerſi, *Nova Stella*, in ſuo

decliviore

decliviore Situ *Meridianum* contingeret; atque tunc collimavi per aliud *Pinnacidium* priori analogum, non longè à *Centro* appositum, & quod removeri poterat: in priori enim ejus parte *Rimula* quædam erat, per quam inter Observandum, motâ longâ *Cochleâ*, Instrumenti *Angulus* variabatur, donec *novam Stellam*, in superiori *Limbo* Pinnacidii superioris, præcisè collinearem; dimidiâ ejus parte visâ, alterâ latente.

XX. Quadrans Maximus, quem extruxi (inquit *Tycho*) ante Annos 26 in Horto *Domini Pauli Hainzelii*, apud ejus Prædium, distans semisse Milliaris ab *Augusta Vindelicorum*; & quum elapso Quinquennio dosolatus sit, ejus Descriptionem hic narrare mihi visum est. Totus erat è quercino Robore multis Annis exsiccato elaboratus, & *Latera* atque *Contignationes* instar *Trabium* magnarum fuere, habebatque in *Radio*, sive a *Centro* ad *Circumferentiam*, ad minimum 14 *Cubitos* sive *Pedes* 21 ½. *Limbus* verò, ubi erant *Divisiones*, *Laminis* orichalcicis obducebatur. *Contignationes* intertextæ, ex transversariis Trabibus compactæ & levigatæ, in eum Usum disponebantur, ut totum *Quadrantem* firmiùs continerent atque in sua Justa *Quantitate* & *Plano* combinarent. *Divisio* autem erat solummodò secundum *Formam* tunc *usitatam*; non enim aliam & commodiorem tunc adinveneram, quâ etiam postea in aliis Instrumentis usus sum: poterant, nihilo seciùs, singuli *Gradus* non solùm in singula *Minuta* sic distribui, sed & quodlibet *Minutum* in sex *Particulas*; ita ut *dena* etiam *Secunda* discretè suppeditârit. *Pinnacidia* erant propè *Centrum* in altero *Quadrantis* Latere, apud quod *Observator* consisteret juxta horum Unum sive *Inferius*, quod Oculo proximum habuit in Meditullio suo *Foramen* parvum, per quod Foramen *Stellæ* collineabantur in *superiori* sive altero *Pinnacidio* juxta Lineam *diametralem* apud dictum alterum Pinnacidium. Si verò Sol observandus foret, adhibebatur *aliud* Pinnacidium perforatum in anteriori Loco juxta *Alterum*, quod per rotundum Foramen admittebat *Solis Lumen* intra *Circulum* ipsius *Quantitati* analogum, ab interiore *Pinnacidii inferioris* Parte; adhibito præsertim *Canali* quodam oblongo, ut *Lumen Solis* eò minus in *Aere* dissiparetur, & exactiùs intra Limites ejusdem *Circuli* discerneretur. Porrò juxta *Centrum* appendebatur *Filum*

orichalcicum tenue quod *Plumbum* aliquot Librarum in *Foramine* ſuſtinere potuit, ne *Filum* Vento facilè dimoveretur; *Filum*, enim, juxta Contractum quàm exactiſſimè monſtrabat *Diviſionum Altitudinem* quæſitam.

Inhærebat verò hæc Machina, *Columnæ* quercinæ craſſæ ac robuſtæ, circa *Centrum*, in tereti Ferro forti poſteriùs firmato; ſuſtentantibus etiam ipſum *Limbum* duobus *Capreolis* paulò ſuprà *Foramen Plumbi* adaptatis ut *totus Quadrans*, in attollendo vel deprimendo, ad *Columnam* arctè conſtringeretur & cohiberetur, nè ſuo recideret pondere antequàm Obſervationis Numeratio foret peracta. Ipſa verò *Columna*, inferiori ſui parte, in quadam ſubterranea Structura firmabatur & convolvebatur; ita ut quum infimâ ſui parte ſit acuminata & Chalybea, in *Foramine* ſubſtrato ejuſdem Formæ, facillimè circumducebatur, rotundo ſuperiùs *Foramine conoidali* apud ipſum circumquaquè continente, nè hinc inde vacillaret, ſed ubique tàm ipſa *Columna* quàm *Quadrans* illi inhærens circumageretur in omnia *Verticalium Plana*, per duo *Manubria* trans Medium Columnæ poſita. *Totum* infra Manubria crypticum erat, firmiter compaginatum & lapidibus fulcitum, quo Machinam firmiùs ſuſtineret atque firmaret: conſiſtebat enim ipſa Machina ſub *Dio*; tegebatur, nihilominùs, in ſua ſaltem Circumferentiâ, nè *Limbus Diviſionum* quidpiam caperet Detrimenti. Atque per hoc Inſtrumentum *Dominus Hainzelius* in mei gratiam denotavit, tum *Novæ Stellæ* tum quarundam aliarum *Altitudines*, quas mihi communicavit.

XXI. QUADRANS MAXIMUS *Chalybeus, Quadrato incluſus & Horizonti Azimuthali chalybeo inſiſtens.* Hunc *Quadrantem Numero* VII. hactenùs delineavit, aliâ tamen Ratione diſpoſitum; ita ut intra *Cryptam Muralem* in Axe quodam forti Chalybeo, *Zenith* & *Nadir* reſpiciente, convolveretur, & ſimul intra *Muri cryptici* Circumferentiam, *Armillam* firmam haberet *Azimuthalem*: ſed hìc *Altera* repreſentatur Ejuſdem Diſpoſitio, cujus *Figura* videre eſt in *Aſtr. Inſt. Mechan.* Veruntamen, quum eidem uſui inſervit Unus & Alter, Lectorem diutiùs non detinebimus.

Alia quædam Instrumenta breviter deſcripſit *Tycho*, quæ, dicit, nondùm exſculpta ſunt, ſcilicet,

1. *Sextans Bifurcatus.*
2. *Semicirculus amplus*, pro majoribus *Diſtantiis* cælitùs denotandis.
3. *Radius Aſtronomicus.*
4. *Annulus Aſtronomicus.*
5. *Armilla portatilis.*
6. *Aſtrolabium Catholicum*

ſed quum *nobilis* Tycho ſibi e *Dania* Patriâ ſuâ dulciſſimâ, migrandi Neceſſitatem incumbere, tacitè prævideret, alia quædam Organa *Aſtronomica* excogitavit, quæ paucioribus Requiſitis omnia exhiberent, & in alia *Terræ* Loca tranſvehi poſſent; *ſi fortè*, inquit, *illa quæ in* Dania *poſſiderem, non ſatis citò & abſque Incommodo ad me transferri curare liceret.*

XXII. Tandem Globum Magnum Orichalcicum deſcribit, habentem in ſuo *Diametro* 6 proximè *pedes*, ſummâ Diligentiâ, nec minori Sumptu, confectum. Interiùs *ligneâ Materiâ* conſtabat, affabrè ex multis *Armillis* & Fruſtulis intertextis, iiſdemque hinc inde a *Centro* fulcitis, compoſitâ; & poſtea in *Globoſam* Formam tornatâ, *Auguſtæ Vindelicorum* Anno 1570 ac in *Daniam* Anno 1576 non ſine Difficultate advectâ; ac per Biennium Periculo facto, tandem *Laminulis* orichalcicis juſtæ Craſſitiæ Eam totaliter ſuperinduci tutò curavi, tantâque Subtilitate ut ex *ſolido* Orichalco *Globum* conſtare diceres, quem etiam mox in exactam *Globi* Formam levigari feci, cum ſuis *Polis*, *Æquatore*, *Zodiaco*: & poſt aliud Periculum per 12 Menſes, Ei quoque adaptavi *Octavæ Sphæræ* Sideræ locis convenientibus, quæ Annis ſucceſſivis, magis magiſque numero aucta, tandem *Millenarium* complerûnt; ita ut *omnes Stellas*, quotquot Viſui vel parumper patent, illi adaptarìm; relatis earum Locis conſultò ad Annum 1600 completum & brevi inſtantem: ſicque præterlapſi ſunt Anni circiter 25, a prima *Globi* hujus Confectione, donec Is *Diviſionibus* & *Stellis* ſuis abſolveretur. Ejus exteriores adaptatæ ſunt *Armillæ*, *viz. Meridianus* & *Horizon*, intra quos comprehenditur & in *Axe* ſuo circà *Polos* revolvitur: *Meridianus* è ſolido Chalybe *Diviſiones* habuit ſingulorum *Minutorum*, & *Horizon* Spithamæ Latitudinem habens, *Orichalco* etiam ſuperinductus, & in ſuos *Gradus* ac *Minuta* fuit *Azimuthaliter* diviſus. Deſcendit verò a *Zenith* Quadrans verticalium *Circulorum* orichalcicus

cicus in *Horizontem* deſinens, atque in 90 *Gradus* cum *Minutis* ſubdiviſus, qui tàm *Altitudinibus* in ſemetipſo, quàm *Azimuthis* in *Horizonte*, numerandis inſervit: Atque totum Inſtrumentum *Pedeſtali* innititur, cum quatuor *Ferramentis* decuſſatim ſe tranſeuntibus; totumque hoc *Fulcrum* circiter 5 Pedes altum eſt.

Quantam *Globi* Machinam, tàm ſolidè ac ſubtiliter elaboratam & undiquaque ritè conſtantem, a Nemine hactenùs in quavis *Orbis* Terrarum Parte (*abſit Invidia Dicto*) conſtructam & abſolutam eſſe arbitror: Opus quidem ingens & magnificum! quod ut Multi è variis Regionibus, unà cum cæteris meis *Organis*, conſpicerent, in *Daniam* profecti ſunt, dum URANIÆ Regnum incolume atque *Arx* inclyta ſtabant.

Circa *Horizontem* hæc verba Literis aureis majuſculis leguntur, *viz.*

ANNO A CHRISTO NATO CIↃ, IↃ, XXCIV, REGNANTE IN DANIA FRIDERICO SECUNDO, HUNC CŒLESTI MACHINÆ CONFORMEM GLOBUM, IN QUO AFFIXA OCTAVÆ SPHERÆ SIDERA CŒLITUS ORGANIS DEPREHENSA, SUIS QUÆQUÆ LOCIS AD AMUSSIM REPRESENTARE; ERRANTIUMQUE STELLARUM PER HÆC APPARENTIAS PERVESTIGARE DECREVIT, CŒLO-TERRIGENIS, QUI RATIONEM EAM CAPIUNT, MÆCHANICO OPERE PATEFACTO, TYCHO BRAHE O. F. SIBI ET POSTERIS F. F.

Annus hic 1584 adſcribitur, quod *Is* circa medium Tempus, dum hæc Structura elaboraretur, incideret; *Quadriennio*, nimirùm, ante obitum *laudatiſſimæ Memoriæ* Regis FRIDERICI, qui me meaque Studia liberaliter & clementer fovit, ac *Regio Amore*, quoad vixit, proſecutus eſt.

Habet autem, præ cæteris Inſtrumentis, hoc, ob ſuam Magnitudinem, Prærogativæ, quod Omnia in Eo exactiſſimè, adeoque in *Ipſo Minuto*, exequi liceat: atque ſic ſingula quæ *Primi Mobilis* Doctrinam concernunt, & *Cœleſtium* Corporum *Obſervationes*, reſpectu *Æclipticæ* & *Æquatoris*, aliorumve quorumvis in *Sphæra* Circulorum, minimo Negotio & abſque laborioſa Supputatione, hìc mechanicè perficiuntur.

Dicta ſufficiant de ORGANIS ASTRONOMICIS ab ipſo *Tychone* fabricatis, & in ſua *Aſtronomia Mechanica Inſtaurata*, cum Eorum *Uſibus*, plenè ac planè deſcriptis, & ſecundùm Eorum

Icones, ſive Formas & Figuras, delineatis. Atque ſicut Vir hic Eximius Monimentum Aſtronomicum exegit Ære perennius, Hæc, quidem, in maximi hujus *Aſtronomorum* PRINCIPIS Honorem, grato Animo hìc recitare nobis viſum eſt Idoneum; Et ipſa Rei Utilitas, omnes *Cœlo-Terrigenas*, procul Dubio, in perlegendis hiſce 25 Paginis oblectet; quum præſertìm Liber *Tychonis* prædictus (de *Aſtronomia Mechanica Inſtaurata*) rarus ſit quidem, nec ſæpè in *Anglia* proſtat venalis.

VERUMENIMVERO *Omnia hæc Inſtrumenta* deſcripta ſunt ab *Hiſtoriæ Cœleſtis Editore*, ex *Aſtr. Inſt. Mechan.* excepto tantùm TORQUETO, quod (ſicut numero XI^mo^ nobis narrat ipſe *Tycho*) non fabricatum fuit; quoniam ſuo ſe pondere aggravat & ſic Uſui inhabilis eſt. Aſt raró indicat *Editor* quales fuerint *Radii* Inſtrumentorum ab Eo deſcriptorum; & quaſdam Eorum præcipuas Circumſtantias cognitu perquàm neceſſarias ſæpiſſimè oblitus eſt, quæ propterea præcedentibus Deſcriptionibus hic ſunt inſertæ.

Ex horum Inſtrumentorum Deſcriptionibus, in *æternam* NOBILIS TYCHONIS *Memoriam* hic enumeratis, liquidò conſtat, maximum hunc *Aſtronomum* uſum fuiſſe Amplo quodam *Globo* cum *Scapho* ſive *Civitate*, ut ſuum *Sextantem* faciliùs agitaret & in *duarum* quarumvis *Stellarum Planum* diſponeret. *Globi* quidem *Diameter* duorum erat Pedum aut ampliùs, Laminiſque cupreis vel orichalcicis benè elaboratis ac exacte politis, incruſtatus & apprime rotundus. *Scaphus* autem conſtabat *quatuor Laminis* ferreis *Semicircularibus*, Circulum ferreum, ſive *Annulum*, ſive quandam *Armillam*, circa Globi *Medium* octo in Locis decuſſatim ſuſtentantibus; quarum Laminarum *ſingula* circà unius Digiti ſpatium vel paulo plus a *Globo* diſtat; & in *octo* iſtis Locis (ubi Annuli *Artum*, ſive *Limbum*, tangunt iſtæ Laminæ) *octo Cochleæ* ferreæ inſeruntur, *Laminam* ſuſtinentes *oblongam* ad Globi *Latus* cui *Sextans* infigitur, per *Embolium*, ſive *Clavem* ferreum in ſuæ Gravitatis Centrum infixum & in *Globum* receptum; quo ultrò citròque agitari, ſive omnifariàm circumagi, atque in quamvis Poſitionem requiſitam conſtitui poterat: ut videre eſt Numero XVI.

Sed quanquàm hocce Inſtrumentum, *Rei Aſtronomicæ* excuſatè accommodum & expeditum redderet Uſus frequens; veruntamen Eo talia operatus eſt Nemo, qualia præſtita ſuere meo Sextante apud *Greenwich* Ope *duarum Cochlearum* perennium,

S

rennium, ac *duorum Semicirculorum* dentatorum; ſicut ex ejuſdem *Figura* videre eſt.

Porrò animadvertendum eſt *Armillas* TYCHONIS *Æquatoriales* ita fuiſſe fabricatas, ut in Partes disjungi, in Capſis aut Thecis recondi, ubicunque circumferri, ac ope *Cochlearum* rurſùs conjungi, facili Negotio potuerint: Atque per hanc Inſtrumentorum ſuorum Fabricationem nobis indicat *Vir Magnus*, ſe non fuiſſe ignarum, quantæ *Aulicorum* Invidiæ, ob ſuam in *Re Aſtronomica* Scientiam non vulgarem & Eruditionem eximiam, *Regiſque Optimi* Benevolentiam, fuerit obnoxius; Seque iſtius *Invidiæ* fructum ingratum præmaturè demeſſurum, prudenter valdè eſt ſuſpicatus: ut patet ex ſui Ipſius verbis, " Subjungam verò & hoc *(inquit)* " quod hæ *Armillæ* certis *Cochleis* disjungi que- " ant ac rurſùs componi: Idem poteſt fieri in " ipſo *chalybeo Pedeſtali* ſive *Fulcro*; ita ut commodè in " alia Loca tranſvehi queant: & in omnibus Inſtrumentis " ubicunque, ſine Illorum Detrimento, idem præſtari debet. " Oportebit enim Aſtronomum eſſe Κοσμοπολίτην ita ut, ſi " Neceſſitas & Uſus poſtulet, non uni alicui Regioni ita ad- " ſtrictus ſit, quin aliò etiam migrare & ſua ſecum ferre In- " ſtrmenta, liberè & libenter velit & poſſit. Quum enim " pauciſſimi ſint qui hiſce arduis Diſciplinis & Exercitiis oc- " cupentur, & rariſſimè inter *Politicos* (qui *Reipublicæ* Admi- " niſtrationi præeſſe volunt) aliqui inveniantur qui his " impenſè delectentur, eaque fovere ac ſuſtentare conſultum " ducant; ſed longè Plures qui Ea, ob Ignorantiam, aver- " ſantur atque inutilia æſtimant; non oportet *Divinæ Aſtronomiæ Alumnum* talibus imperitis Judiciis obnoxium eſſe, " ſed Ea ex alto negligere, & nihil ſatius exiſtimare quàm " hiſce invigilare Studiis, nihilque Aliorum moveri Impor- " tunitatibus; & quando nimis ſint moleſti, ſive *Aulici*, ſive " *alii*, ſe ſuaque aliò transferre: adeo ut, nè *Natale* quidem " *Solum*, quod Dulcedine Cunctos allicit, immemorem nec " ſinit eſſe ſui, nec hiſce cœleſtibus & ſublimibus Curis (quæ " *Immortalitatis* veſtigia præ ſe ferunt) ipſam *Patriam* ante- " ponere debet *Aſtronomus*, ſed conſtanti & perſeveranti Animo " ſemper, in omnem Rerum Eventum, ſecum cogitare, quòd

Undique Terra *infrà*, Cœlum *patet undique ſuprà*,
Et Patria *eſt* Forti *quælibet Ora* Viro.

In Fine Deſcriptionis Organi XIII. *Aſtr. Inſt.*

quam

quam quidem *Tychonis* Prævisionem comprobavit Eventus; quando enim *Aulici*, & in Dania Apolecti, Salarium ejus & annuam Pensionem retinuerunt, ut seipsos locupletarent; post, scilicet, optimi Regis FRIDERICI II. mortem, in *Germaniam* secedere, & ibi quasi Asylum quærere, optimum hunc adegerunt *Astronomum*; (pudet hæc Opprobria *Danis!*) tunc enim omnia sua Instrumenta in Thecis reposita (exceptis *Murali Quadrante*, *magnoque Globo* cœlesti; Unum, enim, Loco suo dimoveri nequibat, nec Alterum in partes dissecari sine ejusdem perpetuâ Ruinâ) secum portavit & erigi curavit, ubicunque Sedem fixerat suam: atque prædictus Dominus *Roemerus* mihi narravit, *Globum* istum *Magnum* adhuc sanum in *Dania* extare ac incolumem. Luminaria vel Specula in omnibus suis Instrumentis erant paria & simillima; *Cylindrus*, nempè, aut *Acus æneus* accuratè tornatus & in *Centrum* erectus, cujus *Diameter* erat unius quasi *Digiti*, ut opinor, vel plùs minùs; (non enim semper ejusdem Magnitudinem accuratam narrat) ab alterâ verò *Indicis* Extremitate, propè Collimantis *Oculum*, *Lamina* stabat *ænea* cum duabus *Fissuris* sibi ipsis parallelis, & ad *Indicis*, seu Instrumenti, *Planum* Perpendicularibus; ita verò fabricatis, ut Ope *Cochleæ* perennis, Laminarum *Fissuræ* effici possint aut *latiores* aut *angustiores*, & ut sic *Observatoris* Oculo optimè adaptarentur. Inventione tali utitur etiam *Hevelius* in omnibus Speculis Instrumentorum in sua *Organographia* descriptorum; cui Libro relegandus est Quisquam pleniorem desiderans hac de Re Instructionem. Atque Nobis hoc tantùm hic Addendum est, *Tychonis Cylindrum Centralem*, in ejusdem Medio, parvum habuisse *Foramen*, *Indicis Axi* parallelum, per quod SOLIS *Radii* transmittendi ac recipiendi erant super *Laminam Speculi* propè Oculum, & super Circulum ad *Solis Radios* recipiendos amplum satis, quandocunque *Sol* erat observandus.

Pluribus immorari supervacaneum duco, quum hæc *nuda* Luminaria vel *Specula* in utendo difficillima sint, & *Collimatio* per Ista sit valde incerta; præsertim quum Instrumentis Astronomicis *Specula Telescopica* Modum Applicandi jam dudum invenerimus, quibus *Collimatio* facilis redditur, certa & exactissima.

Veruntamen

Veruntamen Operæ pretium erit aliquantiſper diſſerere de Eis QUÆ (ait *Tycho*) HACTENUS DEI DONO IN ASTRONOMIA EXANTLAVIMUS, QUÆQUÆ POSTHAC, EODEM FAVENTE, EXEQUENDA RESTANT. Ipſius fermè Verbis, *Aſtr. Inſt. Mechan.*
" Anno, *inquit*, 1563, Tempore Magnæ iſtius Conjunctio-
" nis ſuperiorum Planetarum, circà Finem *Cancri* & *Leonis*
" Initium, Juxta Ætatis noſtræ Annum 16 completum,
" *Lipſiæ*, ex *Ephemeridibus* aliiſque Libris, Rudimentorum
" Aſtronomiæ Initia feci nonnulla; naturali quadam Incli-
" natione & reluctante meo Pedagogo, qui me *Juriſpru-*
" *dentiæ* Operam dare maluit: atque brevi, omnes *Cœli*
" Aſteriſmos in illo *Horizonte* commodè dignoſcendos, ex
" Globo quodam Parvo, inſtar Pugni, intra Menſis Spatium,
" proprio Marte & Nemine præmonſtrante, didici; nec aliàs,
" *Mathematices* Præceptorem habui, cæteroquin citiùs in Ea
" & plùs fortè profeciſſem. *Planetarum* etiam Motibus mox
" attendebam; at quoniam ex Eorum *Commixtionibus* cum
" *Stellis Fixis*, tum quoque per *Lineas* hinc inde ductas,
" animadvertebam, vel ex parvulo iſto *Globulo*, Eorum
" Loca cœleſtia Calculo non congruere, ſive *Alphonſino*, ſive
" *Coperniceo* (*licet* huic *magis quam* illi) ideo indies diligen-
" tius Eorum Apparentiis denotandis invigilavi, & ſubindè
" cum Calculo *Tabularum Prutenicarum* (quem proprio
" Studio mihi familiarem reddideram) Eos contuli; *Epheme-*
" *ridibus* non confidens, tunc ſiquidem perquàm mendoſis.
" Sed quum Inſtrumenta nulla in promptu haberem (*invi-*
" *dente mihi ea Pedagogo*) *Circino* quodam Majuſculo utebar,
" applicatâ nempè ejus Juncturâ Oculo, & utroque Pede in
" *Planetam* obſervandum & *Stellam* aliquam *fixam* vicinam
" directo: atque ſic ab illa magnâ *Conjunctione* Anni 1563
" exorſus ſum, in Motu *Saturni* & *Jovis*: Ea enim *Alphon-*
" *ſinos* numeros Integro Menſe fefellerit, & *Copernici* Numeros
" pauculis aliquot Diebus; nam ejus RESTITUTIO in hiſce duo-
" bus *Planetis* non uſque adeo a cœleſti Norma digreditur, præ-
" ſertim in *Saturno*, quem nunquam ultra 30′ Minuta vel ad
" ſummum ultra unum Gradum, *Copernici* in Cœlo eludere
" Calculum animadverti; ſed *Jupiter*, interdum, aliquantò
" majorem ſuggerit Differentiam. Anno 1564 RADIUM
" quendam Aſtronomicum e Ligno mihi clanculariè confieri
" feci, ex Præſcripto *Gemmæ Friſii*, quem per Puncta tranſ-

" verſalia

" versalia ab *Homelio* suo Præceptore hausta, diligenter di-
" stribuebat *Bartholomæus Scultetus*, qui tunc *Lipsiæ* degens,
" ob Communia Studia mihi familiaris erat. Hoc *Radio* adep-
" to, sæpè integras Noctes, dormiente ac inscio *Pedagogo*, e
" Fenestra Tabulati cujusdam, Sideribus capiendis invigilavi,
" atque seorsim *Libello* cuidam inscripsi: sed paulò post
" percepi Distantiarum *Angulos* vario modo, secundùm Di-
" visiones *Radii* æquales, acceptos, & interveniente *Propor-*
" *tionum* Regulâ in Numeros Geometricè relatos, sibi ipsis
" non per omnia congruere; quare, indagatâ Erroris Occasio-
" ne, *Tabellam* adinveni, quâ *Radii* istius Vitia emendare
" licuit; neque enim novum *Radium* confieri permisit meus
" *Pedagogus*: sicque hoc primo Instrumento multas Observa-
" tiones *Lipsiæ* ac postea in *Patriam* revocatus exequebar.
" Deinde rursus in *Germaniam* abiens, primò *Wittebergæ*,
" moxque *Rostochii*, Sideribus attendebam; Annoque 1569
" & sequente, *Augustæ Vindelicorum*, præter *Quadrantem*
" *illum maximum* in *Hainzelii* Horto erectum (de quo dictum
" est *Num.* XX.) etiam *Sextante ligneo* Sidera observabam,
" & peculiari *Libro* denotata consignabam; & in *Patriam*
" denuò reversus alium similem *Sextantem* confieri curavi,
" præsertim quum admiranda illa *nova Stella* 1571 illuxit,
" atque me a *Pyronomicis* Laboribus ad *Cœlestia* consideranda
" revocasset; quam diligenter observatam, primùm tunc tem-
" poris, parvo quodam *Libello*, tandemque integro *Volumine*
" fideliter & accuratè descripsi. Postea successivè alia atque
" alia *Organa Astronomica* confieri curavi, quorum Aliquæ
" mecum per totam *Germaniam* iterùm peregrinando &
" aliquam *Italiæ* partem transeundo, apportavi. Demùm
" verò in *Patriam* reversus circà Annum ætatis 28um, ad alium
" & diuturniorem Abitum, tacitè paulò post, me preparabam.
" Nam Basileæ Rauracorum aut in Ejusdem Vicinia, Sedem
" figere meam constituebam, ut ibi *Astronomiæ Instaurandæ*
" *Fundamina* ponerem, in Concursu quasi *Italiæ*, *Galliæ* ac
" *Germaniæ*, ubi meliùs etiam hæc cœlestia Studia excolere
" putavi quam in *Scania* atque Sede meâ paternâ *Knudstorpia-*
" *nâ*. Verumenimvero dum hæc Animo volverem, jamque me
" Itineri accingerem, serenissimus & potentissimus *Daniæ* ac
" *Norwegiæ* Rex optimus & nunquam satis laudandus Fidericus
" II. sponte suâ & clementi Voluntate, Insulam illam celeberrimi

" *Porthmi Danici*, *Huenam* Noſtratibus, Latinis *Venuſiam*,
" Britannis *Scarlatinam* dictam, mihi obtulit; atque rogavit,
" ut ibi Ædificia & Inſtrumenta pro Exercitiis *Aſtronomicis*
" & etiam pro Laboribus *Pyronomicis* fieri curarem, ſeque
" Sumptibus liberaliter iis proviſurum, clementer addixit.
" Mutatâ igitur priori meâ ſententiâ, Regiæ Voluntati non
" invitè acquievi, præſertim quum in iſta Inſula, inter *Scaniam*
" & *Zeelandiam* poſitâ, ab Interpellantium ſtrepitu liberari
" potui. Mox igitur *Uraniburgum Arcem* rebus *Aſtronomicis*
" idoneam extruere cæpi, Anno, nimirum, 1576
" Anniſque ſucceſſivis; ac Interea *Obſervationibus* ſtrenuè
" invigilabam, accitis in Harum miniſterium pluribus *Studioſis*
" acumine Ingenii & Viſûs pollentibus, quos & ſuſtentavi
" & in hiſce Diſciplinis aliiſque Philoſophicis inſtruxi.
" Sicque *Dei* Benignitate plurimas, eaſque exactiſſimas *Obſervationes*
" cœleſtes *Aſtronomicas* adepti ſumus (nullâ fermè
" *Serenitate* prætermiſſâ) tam in *Fixis* quàm omnibus *Erraticis*,
" tum quoque *Cometis* interea eluceſcentibus, quos
" *Septenos* iſthic Cœlitus accuratè denotavimus.

" Peractæ autem ſunt, hac Ratione, *Uraniburgi*, 21 Annorum
" ſedulæ Obſervationes, quas primò in Magnis Voluminibus
" conſcriptas, & poſtea ſeorſim in ſingulos Libros,
" pro quolibet, nimirum, Anno, diſtribui, & ad Mundum
" deſcribi curavi; idque tali Ordine peregi, ut *Stellæ fixæ*
" ſeorſim, quotquot illo Anno fuere denotatæ, ſuum haberent
" Locum. *Planetæ* verò proprium habûere & peculiare
" Locum, diſtinctè incipiendo a Sole & Luna, & per reliquos
" quinque *Planetas* tranſeundo, uſque ad Mercurium:
" nam nè *hunc* quidem inobſervatum reliquimus, ut ut rariſſimè
" pateat; quinimo ſingulis penè Annis *Mercurius* a
" Nobis, tam Matutino Tempore quam Veſpertino, diligenter
" denotatus eſt: quamvis *magnus ille* Copernicus, quòd
" hunc non obſervarît, ob *Sphæræ* nimiam Inclinationem &
" *Viſtulæ* Fluvii vapores, ſe excuſet: quum tamen *Nos* in
" *Sphæra* adhuc paulò Inclinatiore, inque *Inſula* undique
" Mari magis vaporoſo cinctâ, Eum multotiès conſpexerimus
" atque demenſi ſimus: ſed fortè *Ædes* Habitationis *Copernici*
" erant ita diſpoſitæ ut liberum undiquaque non præberent
" *Horizontem*, ideoque *Obſervationibus*, præſertim ejuſcemodi
" *declivioribus*, minùs commodæ: quod & retulit

" mihi

" mihi *Studiosus ille meus* quem ante 14 Annos eò ablegarâm, " Altitudinis *Poli* examinandæ Causâ. Quocircà *Copernicus*, " propriis in *Mercurio* Denotationibus destitutus, *Nonnullas* " ex Libro Observationum *Gualteri* Discipuli *Regiomontani* " & *Civis Norimbergensis* mutuari coactus est, quas, licet non " satis fideliter & præcisè, suis Placitis ac Demonstrationibus " applicuerit. Optandum tamen foret, ut in reliquis *Planetis* " (quos ex suis Observationibus restituere ingenti Ausu labo- " ravit) non multò *Incertiores* obtinuisset: tunc certè *Apogæa* " & eorum *Excentricitates*, reliquaque hùc conducentia " longè emendatiora nunc haberemus; *Egoque* multorum " Annorum maximis & indefessis Laboribus Sumptibusque " ingentibus parcere potuissem. Quare quum 21 Annorum " selectissimas & accuratissimas Observationes, variis & affabrè " elaboratis Organis cœlitùs conquisitas in Promptu habeam " (ut nihil nunc de 14 Annorum præcedentium Animadver- " sionibus dicam) Eas, rarissimi ac pretiosissimi Thesauri " loco, custodio; quas tamen cunctas, aliquandò fortè, " publici Juris faciam, ubi adhuc plures iis adjungere, DIVINA " concesserit CLEMENTIA.

" Exinde liquet me *Siderum Observationibus* vacasse ab " Ætatis Anno 16to per Annos, nempe, 35; aliæ tamen *Ob-* " *servationes* sunt aliis certiores & præstantiores: nam quas " *Lipsiæ*, & usque ad Annum Ætatis 21um, peregi, *Pueriles* " & *Dubias* appellare soleo; *Easque* postea in 28um Ætatis " Annum adeptas, *Inveniles* voco & *mediocriter* se habentes; " *Tertias* autem peractas *Uraniburgi*, exactissimis illis Instru- " mentis, in maturiore Ætate, per 21 fermè Annos, usque in " Ætatis 50um completum; *has* inquam, *Viriles*, *Raras &* " *Certissimas* appello ac censeo; *quibus* etiam, potissimùm, " *Astronomiæ Redintegrationem fundare* atque exstruere, arduis " enitor Conatibus; licet & *Nonnullæ* ex præcedentium An- " norum Observationibus hùc non parùm conducant.

Quæ vero in his, ex Dei Ope, *hactenus præstitimus & elaborata habemus*, *Quæque in posterum*, Ejusdem Numinis Beneficio *exequenda perficiendaque restant*, *in hunc Modum se habent*, viz.

" SOLIS

" Solis, ante omnia, ex plurium Annorum accuratiſſimis
" Obſervationibus reſtituimus *Motum*, non ſaltem Æquinocti-
" alibus Ingreſſibus accuratiſſimè rimatis; ſed & *Locis* atque
" *Solſtitialibus Punctis* intermediis unà adſcitis, præſertim in
" *Boreali Æclipticæ Semicirculo*; ſiquidem ibi *Refractioni-*
" *bus* Sol Meridianus non ſit obnoxius. Idque utrinque
" multotiès comprobavi, atque hinc tàm *Apogæum* quàm
" Solis *Excentricitatem*, hiſce Temporibus correſpondentia,
" Geometricè deduxi; in quorum *utroque* evidens Error
" tàm *Alphonſinis* quàm *Copernico* irrepſit, adeo ut *Apogæum*
" ternis proximè *Solis* Gradibus, *Copernicos* antevertat Nu-
" meros; & *Excentricitas* ſit *Partium* 2 ⅛ fermè, qualium
" *Semidiameter* fuit 60: ubi apud *Copernicum* penè *quarta*
" pars *Unius* deſideratur. In *ſimplici* etiam *Motu* Solis con-
" ſtituendo hiſce Annis, quartâ quaſi *unius* Gradûs parte
" Errorem committit; ac inde *Alphonſiana* cum *Copernicis*
" collata æſtimari poterunt. Hinc verò tàm *Æqualium Mo-*
" *tuum* quàm *Proſtapheræſeon Canones*, numeris exactis de-
" duxi; ut de Solis *Curriculo* ad Amuſſim verificato, Nume-
" riſque idoneis patente, non ampliùs dubitandum ſit. Atque
" Hoc, ut in Sole omnium primo fieret, omninò erat neceſ-
" ſarium; ſiquidem ut *Is Norma* Cœleſtium Motuum exiſtat,
" & *Eclipticam*, ad quam reliquæ referuntur Motiones, de-
" ſcribat: Cujus etiam ab *Æquatore Obliquitatem* Maximam,
" aliam quidem deprehendi, quam *Copernicus* & ejus *Coæta-*
" *nei* utpote *Part*. 23. *Min*. 31 ½, ideoque 3 ½ *Minutis*, illorum
" Inventione Majorem; præcavendo, nimirum, *Refractionem*
" Solis in *Brumali Situ*, quam Illi inconſideratè neglexerunt.
" Providimus etiam Soli *Peculiares* Revolutionum *Cano-*
" *nes*; tum quoque *Declinationum* & *Adſcentionum* Recta-
" rum *novos Canones* noſtris Inventis fundatos addidimus:
" Quin & *Parallaxibus* & *Refractionibus* ejus, *Tabellis* ſingu-
" laribus conſuluimus.

" In Luna etiam non minorem adhibuimus Diligentiam,
" ut ejus Errores ſalvarentur qui multifariâ Perplexitate in-
" volvuntur; nec adeo ſimplices ſunt, ſive non tam facilè
" patent, ut *Veteres* & *Copernicus* exiſtimarunt. Nam &
" aliam quandam habet *Ea* Inæqualitatis Inſinuationem ſe-
" cundum *Longitudinem*, quam ab *iis* animadverſum eſt; nec
" etiam Proportiones *Circuitum* ſatis præciſè in Ea denota-

" runt:

" runt: Quin & *Latitudinis maximæ* alios Illa exhibet Limites
" quàm a *Ptolemæo* præfiniti ſunt; quem tamen hac in Parte
" nimis ſecurè, omnes cæteri *Aſtronomi* poſtea ſunt ſecuti:
" Imò & *hanc* ipſam inæqualiter mutat LUNA ad Differen-
" tiam *tertiæ* Partis unius Gradûs. Nec etiam *Nodos* eos
" (ubi *Eclipticam* ejus *Via* tranſit) æquali Motui ſubjicit,
" ubi hactenùs exiſtimatum eſt; ſed ſingulis *Revolutionibus*
" hinc inde nutare facit; idque ſenſibili Diſcrimine, quod a
" qualibet Parte ſeſquialterum Gradum nonnihil excedit.
" Hæc autem Omnia per 16 Annorum Obſervationes reſti-
" tuimus, inter quas 18 ſunt *Lunares Eclipſes* accuratè cœli-
" tùs denotatæ. Neque enim *Ternæ* ſufficiunt ad primam
" Ejus Inæqualitatem ſcrutandam, veluti *Ptolemæus, Alba-*
" *tegnius* & *Copernicus* opinabantur: adhibitæ ſunt etiam in
" Conſilium 6 *Eclipſationes Solares*, quatenus *Eæ* huc quid-
" piam conducerent. Præterea LUNA in *Quadraturis* &
" maximis *Elongationibus* e medio Motu, tam circà *Apogæum*
" quam *Perigæum*, Locaque intermedia, multifariàm & ſæ-
" piſſimè explorata; ut intricatus ejus Motus ritè conſtare
" poſſet, qui nos multorum Annorum incredibili Labore
" torſit: adinvenimus tamen demùm *Rationes* quibus ejus
" inſtabiles & multiformes *Divagationes Circulis* & *Numeris*
" paterent. Ideoque & conſtitutâ aliâ atque *Apparentiis*
" conſonâ *Hypotheſi*, *Numeros* tam æqualium quam inæ-
" qualium *Motuum*, non ſolùm in *Longitudine* ſed & *Latitu-*
" *dine*, adaptavimus; & *Parallaxibus* ejus proſpeximus aliter,
" quàm a *Ptolemæo* & *Copernico* factitatum eſt, prout Expe-
" rientia ipſi *Hypotheſi* conſentiens requirebat: nec etiam
" *Refractionum Lunarium* Curam omiſimus, quum ſine *his*
" cætera non exactè dignoſcantur. Quæ omnia & nonnulla
" alia *Lunares Apparentias* concernentia, in *Canones* ſuc-
" cinctos redacta, *Calculo* deſtinavimus, Motibus ejus inde
" eruendis. Quare, ſic reſtituto utriuſque *Luminaris Curri-*
" *culo*, ut ipſis *Apparentiis* cœleſtibus correſpondeat; tam
" *Eclipſes* Earundem, quàm cæteræ *Configurationes*, Modus
" atque Ingreſſus poſthac rectiſſimè unà conſtare poterint: *Quod*
" *hactenus diu multumque deſideratum fuit.* Quæ verò hu-
" cuſque de SOLIS & LUNÆ (quoad Motus Eorum Cœleſtibus
" analogos) *Reſtitutione* dicta ſunt, Ea & his plura, *Caput*
" *primum Progymnaſmatum noſtrorum Aſtronomicæ Inſtau-*

" *rationis* luculenter expediet, & ibi, horum cupidus, Voti
" compos reddetur. Reſtat ſolummodò in Luminarium ho-
" rum conſideratione, ut omnia pluribus Seculis adaptentur
" & univerſaliora reddantur; quod non adeo magno Negotio
" præſtari poterit, quatenus Veterum & Anteceſſorum Obſer-
" vationes, quibus inniti oportet, ritè ſe habent: Hanc verò
" pleniorem & catholicam Expoſitionem in *Opus Theatri*
" *Aſtronomici* reſervamus.

" Præterea STELLAS INERRANTES, ſive FIXAS OMNES, quot-
" quot viſui utcunque patent, adeoque etiam *Eas* quæ *Sextæ*
" appellantur Magnitudinis, interim etiam accuratiſſimè veri-
" ficavimus, tàm ſecundum *Longitudinem* quam *Latitudinem*
" in ipſo *Minuto*, adeoque nonnunquam in ejus *Semiſſe*:
" ſuntque hoc modo *Millenæ* a nobis rectificatæ *Stellæ*, quum
" *Veteres* non niſi XXII plures numerârint, qui in rectiore
" *Sphæra* habitantes, ultra 200 cernere poterant quæ nobis
" hìc ſemper latent; in quarum tamen locum Nos *alias minu-*
" *tulas* reſtituimus, ab iis ob Parvitatem prætermiſſas. In hoc
" arduo Opere penè *viginti* laboravimus Annis, eò quòd
" variis Inſtrumentis rem omnem accuratè experiri voluimus.
" Quia verò *Minutulæ Stellæ* non niſi *Hyeme*, quum obſcuræ
" ſint Noctes & latente tunc inſuper *Lunâ*, cernuntur; ideo
" Multorum Annorum requirebatur Expectatio antequam *hæc*
" debitè ac ſufficienter abſolvi poſſent; quum etiam circà ipſa
" *Novilunia* (*quando hæc potiſſimùm Praxi ſubjicere oporteat*)
" rarò fuerit *Serenum*. Quâ verò Ratione per *Venerem* tàm
" *Eoam* quàm *Veſpertinam*, intermediante *Sole*, in *Fixarum*
" (quoad Longitudines ab Æquinoctio) exactam Cognitionem
" pervenerimus, & multifariàm Id ipſum comprobaverimus
" (revocatis Omnibus ad eam, Numero tertiam, quæ lucidior
" eſt ſupra Caput, quam, datâ Operâ, pro Fundamento Reli-
" quarum conſtituimus, quum duæ Anteriores minùs pateant)
" *Caput* 2um *noſtrorum Progymnaſmatum* abundè expediet,
" unàque quâ Ratione alias hinc deduxerimus: & primò,
" quomodo triplici Ratione, per totum *Cœli* Ambitum,
" juxta *Zodiacum* & *Æquatorem*, ſelectiores quaſdam *Fixas*
" in totius Circuli maximi exactam Completionem redegeri-
" mus. Animadverti etiam non tantam eſſe, in Earum *Lon-*
" *gitudinibus*, Inæqualitatis *perplexitatem*, quantam exiſtima-
" vit *Copernicus*; quæ Is enim circa hæc imaginatus eſt, vitio

" Obſervationum

" Obſervationum & veterum & recentium irrepſerunt; ideo-
" que etiam *Æquinoctiip ræceſſio* hiſce Annis non adeo tarda
" eſt, prout Ille voluit. Neque enim, in *Centenis* nunc *Annis*,
" Fixæ Stellæ *unum* Gradum conficiunt (ut fert ejus Calculus)
" ſed ſolummodò in 71 ⅓. Quod & antea ſemper ferè, ſi ritè
" limitentur Anteceſſorum Obſervationes, facere conſueve-
" runt, modicâ ſaltem, & aliundè per Accidens incidente
" Irregularitate: ut ſuo Tempore, volente Numine, latiùs
" aperiemus.

" Quin & Fixarum *Latitudines*, pro *Ecliptica* Obliquitatis
" *Variatione*, nonnihil alterari, Primus adinveni, atque *dicto*
" *Capite* variis Argumentis demonſtravi: ſicque ſatis ſuper-
" que teſtari poſſumus, ipſaque Experientia ſummâ & infalli-
" bili Accuratione ſuffragabitur, *Fixarum Loca a Nobis eſſe*
" *verificata*; adeo ut plurimas ex iis multotiès, etiam diverſis
" Inſtrumentis, comprobaverimus, ſingulis in *Unum* coinci-
" dentibus. Nec Mechanicè hoc Negotium ſumus executi,
" utut Globus maximus orichalcicus in promptu fuerit:
" verùm omnes *Stellas* per *Triangulorum* Rationes laborioſè
" in debita *Loca* redegimus; prout vel ex iis patet quæ de
" Cassiopeæ Aſteriſmo (in quo nos 26 *Stellas*, duplò plures
" numeramus quam Veteres) *circa Finem ejuſdem Capitis* ex-
" hibuimus; licet pluribus etiam *Triangulorum* Applicationi-
" bus & Ratiociniis uſi fuerimus, prout *aliis* atque *aliis* Stellis
" commodius viſum fuit. Si Veteres autem & Prædeceſſores
" noſtri tantam adhibuiſſent Diligentiam in denotandis *Fixa-*
" *rum Locis*, nequaquam tam vitioſus fuiſſet Eorum *Abacus*
" inde ab *Hipparcho* ad nos perveniens, qui nè quidem in
" *Sextâ* iſtâ *unius* Gradus Parte, quam ſolummodò exhibet,
" ritè conſtat: ſed & longè majorem atque Intolerabilem ſæ-
" penumerò inſinuat *Deviationem*; quod vel ſolæ *Intercape-*
" *dines Stellarum*, quæ ſemper invariatè permanent, liquidò
" oſtendunt; In plurimis enim *Stellis hæ* longè aliter ſe
" habent quam *Numeri Veterum* exigunt: conſiſtere autem
" *Fixas omnes* in iiſdem ad invicem perpetuò *Intercapedinibus*,
" vel *hæ* ſufficienter probant, quas *Hipparchus* & *Ptolemæus*
" *in Lineâ* ſimul eſſe Rectâ prodiderunt: ſiquidem Idipſum
" adhuc invariatum permanet. Earum *Fixarum*, quarum
" Nos Longitudinem & Latitudinem in ipſo Minuto, adeoque
" interdum ejus Semiſſe (uti dictum) redintegravimus, *Ca-*

" *nonicam*

" *nonicam Expositionem* suo Tempore ac Loco habe-
" bimus.

" Nec solummodò circà *Longitudines* & *Latitudines* FIXA-
" RUM accuratè constituendas occupati fuimus, sed & in *præ-*
" *cipuis* quibusdam Fixis, numero 100, *Ascensiones rectas* &
" *Declinationes*, per *Triangulorum* Ratiocinia inde derivavi-
" mus, atque duobus Sæculis ita adaptavimus, ut singulis
" intermediis Annis Earum *Una* proportionabiliter satisfieri
" posset. *Refractionibus* insuper Stellarum peculiari *Tabellâ*
" subvenimus, per diutinam & multiplicem Experientiam
" constructâ: nisi enim hæ præcaveantur, ipsissima *fixarum*
" LOCA, præsertim ubi *Horizonti* in *vicesimum Altitudinis*
" Gradum appropinquant, haberi nequeunt. Quare semper
" etiam in *Locis Stellarum* a nobis emendatis, *Refractionum*
" Insinuationi, ubi Opus fuit, providimus. Habent verò hæ
" *Refractiones* (ut hoc quoque obiter hic moneam) se paulò
" aliter in *Stellis*, quam in *Sole*; in quibus etiam, ab *iis*,
" quæ *Luna* ingerit, nonnihil differunt: veluti hæc a nobis
" jamdudum & extricata & patefacta sunt.

" Desideratur itaque jam nihil aliud in *affixis* Sideribus,
" quam ut Eorum Motus universalis, omnibus mundani
" Ævi Sæculis adaptetur. Quod accuratè præstare, non foret
" difficile, modo *Veterum* in his Observationes nimis lato
" modo acceptæ fuissent. Attamen limitatione convenienti ad-
" hibitâ, & hac in parte, quoad fieri poterit, *Astronomiæ* Cul-
" toribus me satisfacturum confido.

" Optandum verò foret, ut reliquæ etiam *Stellæ* antiquitùs
" notatæ, quæ in nostro Climate non apparent, prioribus
" *Millenis* a me verificatis adjungerentur: tum quoque *aliæ*
" quas ne *Veteres* quidem in Tractu *Ægypti* habitantes cer-
" nere poterant, quæ juxta *Polum Antarcticum* extant. Nam
" pulcherrimas ibi quoque splendere *Stellas*, Relatione eorum,
" qui ultra *Æquatorem* navigarûnt, accepimus. Quantum
" verò ad *primum* attinet, in *Ægyptum* vel similem *Africæ*
" Situm proficiscendum foret, atque illic *Stellæ* quotquot
" exoriuntur, sedulò denotandæ. In Altero obtinendo, ad
" *Americam Australiorem*, vel aliam Regionem ultra *Æqua-*
" *torem* novigandum est, ubi omnia *Sidera* circa *Polum Antar-*
" *cticum* visuntur, atque isthic *Observationes* earum institu-
" endæ. Quare si qui Illustres & Potentes Domini in altero
" horum

" horum vel utroque, noſtris & aliorum Deſideriis ſubvenire
" non degravati fuerint, egregium ſane quid præſtiterint, &
" Eorum clariſſima Nomina, omni Ævo, & grato Literatorum
" Animo celebranda forent; ſiquidem Id a Nemine hactenùs
" quod ſcitur, debito modo tentatum ſit, nedum abſolutè
" præſtitum. Ego Inſtrumenta & Media huc conducentia
" Subminiſtrare non detrectabo; modo ſint, qui hoc procu-
" rare & idoneis Hominibus tam laudabili Negotio proſpi-
" cere velint.

" Demum, *Planetarum* reliquorum *quinque* Errores ſcru-
" tari, atque hiſce excudendis ſubvenire, non intactum reli-
" quimus: Sed in hiſce omnibus tàm *Apogæa,* quàm *Excen-*
" *tricitates,* tum quoque ſimplicem eorum *Motum* ac *Orbium*
" & *Circuituum* Proportiones, ita in Integrùm digeſſimus,
" ut Erroribus, veluti hactenùs, non ſcateant, & in ipſis
" *Apogæis* aliam quandam adhuc litare *Inæqualitatem* priùs
" non perſpectam deprehendimus: tum quoque *Circuitum*
" illum annuum, quem *Copernicus* per motum Terræ in
" *Orbe* magno, *Veteres* autem ſecundùm *Epicyclos* excude-
" runt, Variationi cuidam obnoxium eſſe perſpeximus: Qui-
" bus omnibus, atque cæteris huc pertinentibus, peculiari
" quadam Hypotheſi a Nobis ante 14 Annos ex ipſis *Appa-*
" *rentiis* adinventâ & conſtitutâ, conſuluimus; *quam* alii
" Quidam (*inter quos tres Viros notabiles ſcio*) poſtea pro
" ſua Inventione ſibi arrogare, & aliis venditare, nimis per-
" frictâ Fronte, non erubuerunt; veluti ſuo Tempore & Loco
" V. D. Occaſiones horum indicabo, atque Eorum nimiam
" Licentiam reprimam & redarguam, atque ita ſe habere,
" adeo evidenter convincam, ut non ſit ſincero Judicio præ-
" ditis, hæſitandi aut contradicendi Locus. Parcam verò iis
" ſi ingenuè admiſſum faſſi fuerint, & mihi mea reſtituerint.
" Ideoque a nominandis Illis nunc volens abſtineo.

" *Latitudines* quoque *Planetarum* inemendatas, prout
" Prædeceſſores noſtri inde a *Ptolemæo,* non permiſimus, ſed
" iis in *quinque* etiam *Planetis* diligenter per totum Circui-
" tum attendentes, *Alimetas* alioſque per *Eclipticam* tranſitus
" definivimus, ut omnia ipſi *Cœlo* congrua ſint: in quibus
" evidenter animadvertimus, TRIUM ſuperiorum *Planetarum*
" *Nodos,* ſive limites maximarum Latitudinum, *Apogæorum*
" motui non eſſe, conformiter obnoxios, ſed alium obtinere

" per ſe proprium, ſi modò Ea, quæ a *Ptolemæo* de his tradita
" ſunt, recte ſe habent, a quo tam *Alphonſini* quam *Copernicus*
" ſua mutuati ſunt, nec *ullam* ex Obſervationibus propriis
" *Correctionem* adhibuerunt. Undè fit, ut *Planetæ* nonun-
" quam in Cœlo ſint *Auſtrales*, cum Eorum numeri illos
" *Boreales* exhibeant, atque è contrà.

" Reſtat igitur nihil aliud in QUINQUE *Errantibus* Stellis
" pariter exantlandum, quàm ut hæc, quæ circa Longitudines
" & Latitudines, atque omnia huc pertinentia, aliter ſe habere
" innoteſcant ac ferunt uſitatæ *Tabulæ*, quæ omnia jam ultra 25
" Annos (ut de 10 prioribus Annis nunc taceam) *cælitùs* dedu-
" ctis accuratis Obſervationibus explorata & conſtituta habemus;
" & ut in novos & competentes *Canones* redacta, Numeris ex-
" ponantur, quorum etiam quædam Initia & Fundamenta jam a
" nobis jacta ſunt. Cætera per aliquot *Calculatores* non diffi-
" culter compleri poterint, & poſtea ſequentium Annorum,
" quotquot lubuerit, *Ephimerides hinc expangi*. Idemque
" in *Sole* & *Luna*, quorum *Tabulas* jam in promptu habemus,
" præſtandum; quo ſic futuris Temporibus minimo Negotio
" probari poſſit, *Motus Corporum Cœleſtium a nobis reſtitutos*
" *ipſis Apparentiis congruere & undiquaque recte conſtare.*

" Tandem, ad omnimodam *Aſtronomiæ* Complexionem
" plurimùm conduceret, non ſaltem *Latitudines*, ſed & multò
" potiùs *Longitudines Locorum Terreſtrium* ritè cognitas
" habere. Qua quidem in parte nos hactenùs, quantum
" licuit, ſedulò laboravimus, & nonnulla Loca rectiùs ordi-
" naſſe perſuaſum habemus: Verùm cùm huic Negotio non
" ſufficienter ſuccurratur, niſi in diverſis & longe diſſitis
" Locis, *Ecclipſes* aliquot *Lunares* pari Diligentia, quoad
" Temporum *Momenta*, a diverſis etiam Obſervatoribus de-
" ſignentur. Si hac quoque in parte *Reges* & *Principes* aliique
" *illuſtres* & *potentes Viri*, in disjunctis Orbis Terreni Regio-
" nibus exiſtentes, Proviſionem liberalem & idoneam adhi-
" buerint, magnum equidem fecerint Operæ Prætium: Sicque
" *Aſtronomia*, quatenùs terreſtribus opus habet *Horizontum*
" Differentiis, conſummatior evadet.

" Porrò, dum perennibus illis & *Mundo* coævis *Cæli* Cor-
" poribus, indefeſſo Studio plurimis Annis ſedulò attendimus,
" adſcititia etiam ejuſdem *Ætherei Mundi* Corpora, quot-
" quot interea illuxerunt, non minori Diligentiâ perſcrutati

" ſumus:

" ſumus. Ac primùm, Novam illam, & ſupra modum admi-
" randam, *Stellam*, quæ circa finem Anni 1572, apparere
" cæpit, atque per 16 Menſes duravit, antequam conſpici
" planè deſtitit: De illâ *(inquam)* Stella Nos, cùm adhuc
" duraret, *Libellum quendam* conſcripſimus (veluti etiam id
" ſupra breviter innuimus) Ejuſque *Apparentias* oſtendimus.
" Poſt aliquot verò Annos, hanc Curam reſumentes, ob mi-
" raculi Magnitudinem, *integrum Volumen* de Eâdem con-
" cinnavimus, quod *Primo Progymnaſmatum Tomo*, certis de
" Cauſis ibidem patefactis, inſerere lubuit: ubi non ſolùm
" noſtras, in ſtupendo hoc *Sidere*, animadverſiones luculenter
" exhibeo, & *Geometricè* demonſtro, ſed aliorum inſuper,
" quotquot de Eodem placita cognoſcere & obtinere licuit,
" Libertate Philoſophica excutio, & quatenùs ipſiſſimæ
" Veritati congrua fuerint, necne, diſquiro, atque in aper-
" tum deduco.

" De *Cometa* quoque ingentis Apparitionis, qui *Quin-*
" *quennio* poſt inſecutus eſt, peculiarem *Librum* adornavi-
" mus, in quo pariter de Eodem tam ex propriis Obſerva-
" tionibus & Deciſionibus, quàm aliorum Sententiis ſufficien-
" ter agimus, quibus *Apologias* quaſdam huc Spectantes, &
" Negotium hoc Cometicum pleniùs elucidantes adjungimus:
" atque Id *Totam Primam Partem Secundi Tomi Progymnaſ-*
" *matum* ſic adimplere volumus. In *Alterâ* circà reliquos *ſex*
" minores *Cometas*, quos ſucceſſivis aliquot Annis pari Dili-
" gentiâ denotavimus, impoſterùm V. D. occupabimur; quæ
" licet necdum planè abſoluta ſint, præcipua tamen & magna
" eorum Pars, quæ Demonſtrationibus inſerviunt, præparata
" eſt: neque enim *perpetua* illa *Sidera* nobis Otium reli-
" querunt, hiſce evanidis, & citò tranſeuntibus nimiùm im-
" morandi. Spero tamen me brevì & hanc *alteram ſecundi ejus*
" *Voluminis* partem, favente Divinâ Bonitate, completurum;
" in quo per omnes, quos deſignavi, *Cometas*, liquidò demon-
" ſtrabo, in quibuſdam apertiùs, quibuſdam verò, prout
" Commoditas conceſſit, *eos omnes in Ætherea Mundi Re-*
" *gione verſatos fuiſſe, & nequaquam Sublunari Aere, ut*
" *hactenùs Nobis fruſtrà tot Seculis perſuaſit Ariſtoteles, atque*
" *ejus Sectatores.* Cur autem in *ſecundo Progymnaſmatum*
" *Tomo de Cometis* agam, antequam ad reliquos *quinque Pla-*
" *netas*, de quibus *Tertio* tractare animus eſt, me confero;

" Rationes

“ Rationes ibidem in *Præfatione* adduco; quarum *hæc* præ-
“ cipua eſt, quod ex *Cometis*, quos reverà *Æthereos* eſſe
“ probo, *totum Cœlum Limpidiſſimum & Liquidiſſimum eſſe*,
“ *nulliſque duris & realibus Orbibus refertum*, ſatis conſtare
“ poteſt: ſiquidem hi alias ut plurimum obſervant Vias,
“ quàm ulli *Orbes Cæleſtes* ſuppeditare poſſent; & per Con-
“ ſequens, *Hypotheſin a nobis adinventam nihil abſurditatis*
“ *admittere, cum nulla fiat Orbium atque Dimenſionum pene-*
“ *tratio, ubi nulli realiter dantur.*

“ Atque de iis, quæ huc uſque in Aſtronomicis partim
“ peregimus, partim adhuc peragenda reſtant, ſic brevibus
“ indicaſſe ſufficiat; *inquit* hic *Aſtronomorum* ſui Temporis
facilè PRINCEPS, *Nobilis noſter* TYCHO BRAHE, *ab omnibus* Cœlo-
terrigenis *honore ſummo perpetim colendus.*

HINC AUTEM colligitur, TYCHONEM ſuam *Fixarum* Rectifi-
cationem incepiſſe, Obſervationibus *Anno* 1582 peractis: intra
enim hoc Temporis Spatium, non ſolùm Arcem *Uraniæ*
ſuam fuiſſe conſummatam, verùm etiam *Stellæburgum* extra
Arcem ædificatum, omniaque ſua *majora* Inſtrumenta appri-
mè fabricata & in excelſo illo *Stellæburgo* repoſita fuiſſe atque
extructa, veriſimile videtur. Et etiamſi per *ſeptem* vel *ſex*
Annos præcedentes, *Planetarum* ac *Fixarum* quamplurimas,
procul Dubio, feciſſet Obſervationes, ipſius uſibus ac Inſtitutis
maximè accommodas, ab Anno, ſcilicet, 1575 exeunte vel
1576 ineunte; quum has tamen non tam accuratas ac *Indubias*,
ſive ratas ac certiſſimas exiſtimaſſet, ac *Illas Anno* 1582
& poſtea peractas, dum in *Dania* commorabat: ſagaciſſimus
igitur KEPLERUS, per intimam cum *Tychone* Conſuetudinem,
hac de Re certior factus, Earum tantùm Obſervationum, 14
vel 15 nempè Annos ante *Tychonis* ex *Uraniburgo* Abitum
factarum, Exemplar comparare ſtuduit, ex quo *impreſſa*
Editio erat confecta, cujuſque πρωτότυπον in hunc uſque Diem
in *Dania* eſt conſervatum.

Quemadmodum *Hipparchus* Obſervationibus utebatur de
LUNÆ *Diſtantiis* primùm à *Sole* ac poſtmodùm a Stellis *Fixis*
eâdem Veſperâ, ut Stellarum *Loca* emendaret; quemque
Methodo eâdem ſequutus eſt *Ptolemæus*; ita *Bernardus* WAL-
TERUS *Planetæ* ♀ Diſtantias, ſive *Longitudinum* Differentias, in-
terdiù a *Sole* & a *Stellis* noctù obſervando, Fixarum *Loca* de-
crevit, ut ſupra oſtenſum eſt; atque hac in Re *Walterum*
imitatus

imitatus eſt Nobilis *Danus*, qui Menſibus *Februario* & *Martio* Anni 1582, Veneris Diſtantias obſervabat a Sole, ac poſtmodùm a Tauri *Oculo* meridionali, a Castoris *Calce* & Pollucis *Capite*; ac Veſperì, harum ſingularum Stellarum rectam Adſcentionem determinavit, Rationem, ſcilicet, habendo pro admiſſâ, ſive ab Eo præſuppoſitâ, tum *Solis* tum *Veneris Parallaxi*, nullam verò Rationem fecit pro iſtarum Diſtantiarum *Contractione* per *Refractiones*; vel quia tuncTemporis,forſan, in ejus Mentem non venerant, vel nullas fecerat Obſervationes ad Earum *Menſuras* inveniendas; nullas enim in ejus *Hiſtoria Cœleſti*, uſquedum *Solſtitium* Æſtivum Anni 1585 reperio; iſtius autem Anni Reſiduo magnam Earum ſuppeditavit Copiam, ac ſi novam aliquam proſequeretur *Detectionem* ſive Inventionem.

Porrò aſſerit *Tycho* ſe uſum fuiſſe plus Centum Veneris *Diſtantiis*, interdiù ſumptis, & noctù a *Stellis*, Anno 1582, ad veram *Stellæ lucidæ* in *Ariete* Rectam *Adſcentionem* determinandam: nè autem Lectorem defatigaret, *Trium* tantummodò illarum inter ſe optimè convenientium Examen Nobis tradit, pro uniuscujuſque *Parallaxi* tamen Rationem habendo; atque ſic *Stellæ* iſtius Rectam Adſcentionem pro Anno 1585 computat fore 26°, 00′, 32″.

Poſtquam autem *Has* aliis ſuis Obſervationibus non tam pro Voto ſuo convenientes vidiſſet, *duodecim* Paria examinavit Obſervationum, diverſis Anni Tempeſtatibus factarum, quandò nempè Solis *Altitudines*, erant eædem & conſequenter ejuſdem *Parallaxes* ac *Refractiones*, inter ſe congruebant Æquales; atque ſic Neutrius Ratione habitâ, Rectam iſtius *Stellæ* Adſcenſionem, fermè ſicut anteà, reperit 26°, 00′, 30″: ex harum Obſervationum Unaquâque ſuas invenit Determinationes hac Methodo diverſas fore aliquandò per 15′ vel 16′ *Minuta*; & equidem aliter ſe habere nequibant: ſemper enim *Solis* Locum (qui in omnibus ſuis *Collationibus* eſt Ingrediens principale) a Tabulis aſſumit ſuis propriis, in quibus derivandis & formandis (ex ipſiuſmet duntaxat Obſervationibus) Solis *Parallaxin Horizontalem* præſuppoſuerat fuiſſe 3′ Minuta; quanquam *Martis* in ☍ ad *Solem*, & Lunarium *Dichotomiarum*, Obſervationes, eandem *Solis* Parallaxin vix eſſe perceptibilem permittunt; adeo ut noſtri Aſtronomi & *Britannici* & *Gallici* illam nihil ampliùs fore quam 10″ computant Secunda.

Varias autem Obſervationes, circa *Æquinoctium* Vernale ac Autumnale factas, inter ſe conferendo, Stellarum *Rectas Adſcentiones*, quibuſdam Obſervationibus, ultra $\frac{1}{4}$ Gradûs, invenit *Tycho*, diverſas ſive diſcrepantes ab iis quas aliis Obſervationibus reperiſſet.

Ptolemæus Refractionum *ignarus* quum eſſet, ideo forſitan maximas *Orbitæ Solaris* Æquationes nimis fecit amplas, per unius Gradûs quaſi Semiſſem: & *Tycho* Parallaxin concedendo vel ſupponendo nimis amplam, Eas quoque nimis amplas fecit per 7′ quaſi Minuta; ac proindè ſua *Solis* Loca in Æquinoctiis *Vernalibus* tantò provectiora, & in *Autumnalibus* cunctabundiora ſive tardiora: ut de ſuâ nimis amplâ *Latitudine*, per unum quaſi Minutum, nihil dicam; nec de *Eclipticæ* Obliquitate, quam nimis latam exaravit per Minuta 2′ $\frac{1}{2}$ pravo, ſcilicet, uſu, ſive Applicatione ſiniſtrâ, tum *Refractionum* tum *Parallaxium*; quia forſan De his, Occaſione magis peculiari, Nobis erit dicendum.

Tycho autem, Stellæ in *Ariete* lucidæ Adſcentione Rectâ huc uſque inventâ, *duorum*, duntaxat, Dierum *Obſervationes* ſimul comparando (appropinquante, nimirùm, *Vernali* Æquinoctio vel *Autumnali*, aut aliis Tempeſtatibus, quum Sol in *iiſdem* verſabatur Altitudinibus) *Eas* quandoque *magis* quandoque *minùs* a ſe invicem diſcrepantes reperit: *Mediâ* igitur omnium ſuarum Collationum ſumptâ, Stellæ in *Ariete* lucidæ *Rectam* Adſcentionem eandem determinat, ſicut a ſe antea repertam, viz. 26°, 00′, 30″.

atque Hæc eſt *Tychonis*
Determinatio Fundamentalis.

Tunc autem pergens, *ſex* vel *ſeptem* Stellarum circumcircà Cœlum ſibi mutuò ſuccedanearum ſumit Diſtantias *intermutuales*, ſuo Sextante obſervatas; atque ab *hiſce* Diſtantiis cum iſtarum Stellarum obſervatis Declinationibus, *Differentiam* computat Rectarum Adſcentionum, quas reperit exactè conficere *Gradus* 360: & indè tum ſuorum Inſtrumentorum Habilitatem ſive Aptitudinem decrevit, tum ſuarum Obſervationum Ἀκριβείαν.

Duobus vel tribus Speciminibus in hunc Modum formatis, quorum Unumquodque 6 vel 7 vel 8 conſtabat Stellis, pergit, atque *Tabulam* Nobis tradit, 21 *Fixarum* eminentium *Rectas Adſcentiones, Declinationes*

Progymnaſmatum Volumine 1mo. pag. 232.

nationes Longitudines & *Latitudines* exhibentem, ad uſque Finem Anni 1585 emendatam; cujus ope tum *aliarum* Stellarum, tum *Planetarum Loca*, vel ab ipſius præteritis, vel futuris Earum Obſervationibus, derivanda forent.

Illuſtriſſimus Princeps GULIELMUS *Heſſiæ* LANDTGRAVIUS 24 *Fixarum* eminentium *Loca*, ex Globo ſuo tranſcripta, Tychoni impertiverat; in quem *Globum*, ſecundùm Earum obſervatas Altitudines Meridionales, Diſtantiaſque Intermutuales, *Eas* Stellas aptè diſpoſuerat ipſe LANDTGRAVIUS; ut a Tychonis Epiſtolâ ad præfatum *Principem*, 18vo *Januarii* 1587 ſcriptâ, planè apparet: Hic enim *Princeps* in prioribus Literis a *Tychone* poſtulaverat, ut iſtarum Fixarum *Loca* (ſive Longitudines & Latitudines) a ſuis Obſervationibus *Landtgravianis* computanda ſibi mitteret; Cui morem gerit *Nobilis Danus*, additque 52 *Fixarum* eminentium *Longitudines* & *Latitudines* a ſuis propriis Obſervationibus determinatas: ex quo Longitudines *Landtgravianas* fuiſſe per 5′ vel 6′ *Minuta* Iſtis *Nobilis Dani* Longitudinibus provectiores, liquidò conſtat: atque quum hi ſint *primi Catalogi* quos uſpiàm reperimus poſt iſtos *Arabum* ac τȣ *Uleg Bieg* ſive OLEG BEG (quorum Ἀπόγραφα jam antea tradidi) *Eos* idcircò hìc tranſcribere, ſi non neceſſarium, *utile* tamen *Quid*, ſum opinatus, *viz.* ex ipſius *Epiſtolis*, pag. 49, 54, & 55. & in pagina noſtra proximo ſequente.

Collatio

Collatio
Locorum Quorundam Innerrantium Stellarum
ex *Obſervationibus*

Illuſtriſſimi Principis Wilhelmi Landtgravii Hassiæ, *&c.* qualia tum per Ipſius *Globum*, tum etiam ex *Supputatione* proveniunt, idque *Præſuppoſitis* iiſdem utrobique datis, *Declinatione* Part. 23. Min. 30. *Altitudine* Poli *Caſſellinâ* P. 51, 120, & pro Fundamento aſſumptâ *Aſcentione Rectâ Aldeb.* P. 63, 110.

Nomina Stellarum XXIV. Anno 1587.	Ex *Globo* Illuſtriſſimi Principis Wilhelmi Hessiæ Landtgravii.		*Supputatione* ex Canone *Sinuum*.	
	Longitudo	*Latitudo*	*Longitudo*	*Latitudo*
	S. G. M.	G. M.	S. G. M.	G. M.
Prima Arietis	♈ 27 31	7 11 S	♈ 27 30	7 8½ S
Caput Androm.	8 40	25 46	8 39½	25 41½
Tertia Arietis	♉ 2 0	10 0	♉ 1 58½	9 57
Oculus Tauri	♊ 4 9	5 27 M	♊ 4 6	5 28 M
Siniſter Pes Orionis	11 18	31 10	11 12	31 9
Dexter Hum. Orionis	23 7	16 0	23 5	16 3½
Canis Major	♋ 8 30	39 30	♋ 8 28	39 28
Sup. Caput Geminorum	14 32	10 10 S	14 33½	10 6½ S
Infer. Caput Geminorum	17 32	6 41	17 35	6 42
Canis Minor	20 10	15 50 M	20 11	15 52½ M
Præſepe Cancri	♌ 1 37	1 20 S	♌ 1 37	1 16 S
Lucid. Hydræ	21 35	22 20 M	21 38	22 20 M
Cervix Leonis	23 50	9 0 S	23 45	8 54 S
Cor Leonis	24 8	0 32	24 11	0 32
Dorſum Leonis	♍ 5 35	14 25	♍ 5 36½	14 25
Cauda Leonis	15 55	12 23	16 0	12 24½
Spica Virginis	♎ 18 10	1 50 M	♎ 18 9	1 55¾ M
Arcturus	18 30	31 10 S	18 35½	31 7½ S
Bor. Lanx Libræ	♏ 13 40	8 46	♏ 13 41	8 38½
Cor Scorpii	♐ 4 8	4 19 M	♐ 4 5	4 25 M
Caput Ophiuchi	16 50	36 6 S	16 46	36 0 S
Aquila	♑ 26 0	29 25	♑ 26 3	29 21
Cauda Cygni	♒ 29 40	59 58	♒ 29 46	59 54
Scap. Pegaſi	♓ 17 53	19 31	♓ 17 51	19 24½

Longitudines

LONGITUDINES & LATITUDINES aliquot *Affixarum Stellarum* ad Initium Anni 1587, ex Obſervationibus accuratis, per Inſtrumenta Aſtronomica TYCHONIS BRAHE verificatæ. Adjunctis etiam ALPHONSINIS & COPERNIANIS Earundem *Locis.*

NOMINA STELLARUM. LII.	*Obſervationes* TYCHONICÆ.				*Calculus* ALPHONSINUS.				*Calculus* COPERNIANUS.			
	Longitudo		*Latitudo*		*Longitudo*		*Latitudo*		*Longitudo*		*Latitudo*	
	P.	M.	P.	M.	P.	M.	P.	M.	P.	M.	P.	M.
Prima Arietis	♈ 27	25	7	8½ S	♈ 27	5	7	20 B	♈ 27	57½	7	20 B
Secunda Arietis	28	11	8	29	28	5	8	20	28	57	8	20
Tertia & Lucida Arietis	♉ 1	54	9	57	♉ 1	5	10	0	♉ 1	42	10	0
Lucidior Pleiad.	24	15	4	0	24	5	5	20	24	57	5	20
Os Tauri *prima* Sucular.	♊ 0	1	5	47 M	29	25	5	45 M	29	57	5	45 M
Secunda Sucular.	1	5	4	3	♊ 0	45	4	15	♊ 1	37	4	15
Borealis Oculus Tauri	2	42	2	37	2	15	3	0	3	7	3	0
Quarta Sucularum	2	11	5	53	1	15	5	50	2	7	5	50
Auſt. Oculus Tauri	4	1	5	30½	3	5	5	10	3	57	5	10
Boreale Cornu Tauri	16	47½	5	21 B	16	5	5	0 B	16	57	5	0 B
Auſt. Cornu Tauri	29	0	2	15 M	17	35	2	30 M	18	27	2	30 M
Calx Pedis Geminorum	29	31	0	53	28	35	1	15	29	27	1	15
Superius Caput Geminorum	♋ 14	29½	10	2 B	♋ 13	45	9	30	♋ 14	37	9	30 B
Inferius Caput Geminorum	17	31	6	38	17	5	6	15 B	17	47	6	15
Chele Bor. Cancri	♌ 0	34	10	22	28	45	11	50	29	37	11	50
Præſepe Cancri	1	34	1	14	♌ 0	45	0	40	♌ 1	37	0	40
Aſellus *Bor.*	1	49	3	8	0	45	2	40	1	37	2	40
Aſellus *Auſtr.*	3	0½	0	3	1	45	0	10 M	2	37	0	10
Chele Auſt. Cancri	7	52	5	7½ M	6	55	5	30	7	47	5	30
Cor Leonis	24	6	0	27 B	22	55	0	10 B	23	47	0	10 B
Media Cervicis Leonis	23	47	8	47	22	35	8	30	23	27	8	30
Supr. in Coxa Leonis	♍ 5	28	14	18	♍ 4	35	13	40	♍ 5	27	13	40
Cauda Leonis	15	51½	12	19	14	55	11	50	15	47	11	50
Spica Virginis	♎ 18	4	1	59 M	♎ 17	5	2	0 M	♎ 17	57	2	0 M
Vindemiator	4	12	16	16 B	2	35	15	10 B	3	27	15	10 B
Auſtralis Lanx Libræ	♏ 9	18	0	26	♏ 8	25	0	40	♏ 9	17	0	40
Borealis Lanx Libræ	13	36	8	36	12	35	8	30	13	27	8	30
Cor Scorpionis	♐ 4	1	4	27 M	♐ 3	5	4	0 M	♐ 3	57	4	0 M
Superius Cornu Capricorni	♑ 28	5½	7	3 B	♑ 27	45	7	20 B	♑ 28	37	7	20 B
Inferius Cornu Capricorni	28	18½	4	42	27	45	5	0	28	37	5	0
Lucidior Caudæ Capricorni	♒ 17	40	2	28 M	♒ 16	45	2	0 M	♒ 17	37	2	0 M
Siniſter Hum. Aquarii	17	39	8	41 B	16	55	8	50 S	17	57	8	50 S
Dexter Hum. Aquarii	27	36	10	42	26	45	11	0	27	37	11	0
Os Piſcis *Auſtr.*	♓ 12	50	9	4	♓ 12	5	9	15	♓ 12	57	9	15
Mand. Piſcis *Auſtr.*	15	37	7	18½	14	35	7	30 B	15	27	7	30 B
Pectus Piſcis *Auſtr.*	17	18½	4	27	16	25	4	30	17	17	4	30

Nomina Stellarum. LII.	*Observationes* Tychonicæ.				*Calculus* Alphonsinus.				*Calculus* Copernianus.			
	Longitudo		*Latitudo*		*Longitudo*		*Latitudo*		*Longitudo*		*Latitudo*	
	P.	M.	P.	M.	P.	M.	P.	M.	P.	M.	P.	M.
Extr. Alæ Pegaſi	♈ 3	25	12	35 B	♈ 2	35	12	30 S	♈ 3	27	12	30 S
Prima Alæ Pegaſi	♓ 17	43½	19	25	♓ 17	5	19	40	♓ 17	57	19	40
Os Pegaſi	♒ 26	9	22	8½	♒ 25	45	21	30	♒ 26	37	21	30
Caput Herculis	♐ 10	20	37	22	♐ 8	5	37	30	♐ 8	57	37	30
Caput Ophiuchi	16	37½	35	57	15	15	36	0	16	7	36	0
Lucida Vulturis	♑ 25	57	29	21	♑ 24	15	29	10	♑ 25	7	29	10
Manus Antinoi	29	9½	18	48	29	5	19	10	♒ 0	17	19	10
Pes antec. Canis Major.	♋ 1	27	41	18 M	♋ 1	25	41	20 M	♋ 2	17	41	20 M
Canis Major	8	22½	39	31	8	5	39	10	8	57	39	10
Canis Minor	20	7	15	57	19	35	16	10	20	27	16	10
Siniſt. Pes Orionis	♊ 11	5	31	11	♊ 9	35	31	30	♊ 10	27	31	30
Siniſt. Hum. Orionis	15	11	16	53	14	45	17	30	15	37	17	30
Dexter Hum. Orionis	23	1	16	6½	22	25	17	0	23	17	17	0
Capella	16	5	22	51 B	15	25	22	30 B	16	17	22	30 B
Lucida Hydræ	♌ 21	34	22	24 M	♌ 20	25	20	30 M	♌ 21	17	20	30 M
Arcturus	♎ 18	27	31	2 B	♎ 17	25	31	30 B	♎ 18	17	31	30 B

Per Annos autem 14, inter Annum, ſcilicet, 1587 ineuntem, Annumque 1601 ineuntem, elapſos, *Tycho* Fixarum Motum concedit eſſe propemodùm 12 Minuta, quæ Stellarum in hocce *Catalogo* Locis addita, Earundem dant Loca in ipſius *Catalogo* in Libro ſuorum *Progymnaſmatum* impreſſo, cujus, ut exinde liquidò conſtat, hic *parvus* Catalogus eſt quaſi *Parens* & Fundamen.

Lucius Barrettus quum Anni 1593 Obſervationes deeſſe in Tychonis *Hiſtoria Cœleſti* vidiſſet; Stellarumque Longitudines in Catalogo *Landtgraviano* fuiſſe 5 vel 6 Minutis provectiores quàm in iſto *Tychonis*; ad hunc Defectum implendum & ad ſpatia iſta vacua ſuccenturianda, Animum ſagaciſſimè appulit; atque hìc ad Annum 1593 ſua inſeruit Addenda, ut cum *Tychonis* Obſervationibus quadrarent: Quod quidem hac Ratione ſat ſcitè factum fuit; ubi *Jeſuita*, etiamſi Multum Ingenii, parum tamen oſtendat Sinceritatis: conſtat enim *Tychonem* Longitudines *Landtgravianas*, ſive iſtas a ſuis Obſervationibus in *Landtgravii* uſum derivatas, cum ſuis propriis comparare *Longitudinibus*, quas ad Anni 1587 Initium determinat; atque hoc Modo Differentias 5 vel 6 Minutis conſtare reperit; qua de Re, quicunque Illas ſimul conferre

ferre voluerit, certior factus erit. Atque *Curtio* Hoc non fuerat ignotum qui *Landtgravii* Catalogum non fuisse pro Anno 1593 exaratum, verùm cum hoc Anno optimè quadrare, asserit; (ejus verba sunt, *In hunc ferè Annum competens*) quoniam concedendo Catalogum illum in hunc ferè Annum competere, illum cum isto *Tychonis* congruere comparebit: magni sui Auctoris partibus nimiùm quidem favet quanquam hujusmodi Artes non ipsi placerent *Tychoni*, nec iisdem Posterorum Gratias mereatur *Curtius*.

Porrò observandum, quod etsi hujusce Catalogi *Longitudines*, a *Curtio* in Lucem editæ, cum istis congruant computatis a *Tychone*, vel ab ejus Domesticis, sive *Studiosis*, istius tamen *Latitudines* cum *Tychonicis* non congruunt, imò sunt aliquando pejores, interdùm verò cum istis quadrare conficiantur; sicut alicui Has istis conferenti facilè apparebit. Undè concludere licet quod seu *Rothmannus*, sive *Justus Byrgius*, vel post Eos quispiam, hunc pusillum ac deficientem *Catalogum* composuerit, de *Tychonis* Præstationibus meliùs quàm de suis propriis existimavit; ideoque, ubi Res absque nimio Labore fuit peragenda, suas reddebat Determinationes easdem, sive cum istis *Tychonis* exactè congruentes: quanquam generosus *Tycho* de tali Fraude teneri noluerit, qui in suis *Progymnasmatis* Stellarum 770 fixarum *Loca* a propriis suis Observationibus determinata Nobis exhibuit; sicut *Longomontani* Catalogus eundem exhibet Stellarum numerum in ejus *Astronomia Danica*, HAFNIÆ Anno 1620, Typis excusà. *Tycho*, autem, in suâ ad *Rothmannum* Epistolâ 14[to] *Januarii* Anno 1595 scriptâ, se 1000 circiter *Stellas* rectificasse asserit; atque *Keplerus* in *Tabulis* suis *Rudolphinis* (quas Anno 1627 Typis mandavit) *Loca* tradit Stellarum 1050, quæ numerum in *Progymnasmatum* Catalogo prædictum per 280 excedunt, & quæ *Loca* 280 vel in *Tychonis* Manuscriptis *Keplerum* reperisse, vel ab Ejusdem Observationibus deduxisse, verisimile videtur.

Horizontalem SOLIS *Parallaxin* $3'$ tribus constare Minutis, & supposuit & assumpsit *Tycho*, etiamsi ex propriis ejus Observationibus illam reverà imperceptibilem esse, facilè possit probari; atque ex Observationibus nostris apud Urbem *Derby*, Mense *Septembri* Anno 1672, peractis, non ultra $10''$ *Secunda* reperiebatur ista *Parallaxis*; simul etiam *Refractiones* in SOLIS Altitudinibus Meridionalibus ad Tropicum *hybernum* admittit

nimis

nimis amplas, & exindè maximam *Eclipticæ* Obliquitatem definit esse 23°, 31′, 30″, quæ quidem per 2′, 30″, amplior est quàm a suis propriis Observationibus verisque Refractionibus admitti potest: maxima enim *Eclipticæ* obliquitas, secundum Observationes *Grenovicences* ac etiam *Lutetianas* 23°, 29′, non excedit; ex quo sequitur *Stellas* istas *Coluro Solstitiali* insitas, vel adjacentes, in *Tychonis* Catalogis, suas habere *Latitudines* per 2′, 30″, erroneas, omnesque reliquas Stellas *Latitudines* habere minùs erroneas, prout ab isto *Coluro* sunt remotiores.

Et quia tam amplam Solis *Parallaxin* assumpserit *Tycho*, Refractionesque nimis amplas in *Solis* Altitudinibus, quùm *Sol* nempè minùs 10 vel 12 Gradibus erat altus, exindè procul Dubio tantæ Differentiæ ortum præcipuè duxerunt quas hodie reperimus in *Rectâ* Adscentione *Stellæ* in Ariete *Lucidæ*, 27 diversis Observationibus determinatâ: sed quum Eas limato Judicio contulerit, ac Differentias hinc indè interputaverit, Veritatem forsan quoque elicuit sive detegit; adeo ut in ejus Determinationibus de istius Stellæ *Rectâ* Adscensione, pro istis, duntaxat, Temporibus, acquiescere tutò possimus. Veruntamen ejus *Longitudines* & *Latitudines* adhuc Incertæ sive dubiæ remanent semperque remanebunt, ob *Collimationis* Difficultatem per *nuda* Dioptra in suorum Instrumentorum *Indicibus* collocata; quæ quidem Causa fuit ut in *Distantiis* suis supputandis in Errorem abductus fuerit aliquando per 2, 3, 4, vel 5 *Minuta*; sicut certò patebit, *Tychonis* Distantias conferendo cum earundem Stellarum Distantiis apud *Greenwich* observatis, *Sextante* meo cui Dioptra *Telescopica* affixa sunt; hoc enim modo Collimatio facilis redditur certa & indubia.

Nec non verisimile videtur, Difficultatem reducendi *Sextantis Planum* ad duarum Stellarum observandarum *Planum*, in *Tychonis* Mensuris & operationibus, Causam extitisse Errorum qui in Observationibus apud *Greenwich* peractis facillimè evitabantur; Instrumentum, videlicet, collocando super *Axin*, Telluris *Axi* parallelum, ejusque *Planum*, in aliquod *Planum* per Stellas observandas transiens, *Cochleis* perennibus accommodando, summo cum Facilitate ac Certitudine.

Quicunque

Quicunque Errorum a *Tychone* admiſſorum, in Diſtantiis *Fixarum* ab Eo obſervatis, certior eſſe velit, *celeberrimi* HEVELII *Machinæ Cœleſtis* evolvat *Partem priorem*; ubi oſtendit *Nobilem Danum*, in primæ Magnitudinis Stellarum Diſtantiis, *trium* Minutorum Errores admiſiſſe, quos equidem ſoli *Collimationis* Difficultati adſcribere poſſum.

Tandem *Nobilis* TYCHO Fatis *Pragæ* conceſſit (ut ſupra ex *Thuano* memoratur) Anno 1601, 9 *Calendas Novembres* Stilo novo, quum Vitæ Annos 54, Menſes 9 & Dies 19 (*proh. Dolor!*) tantum egiſſet, poſtquam in Re Aſtronomica per Annos 38 plurimùm fuit verſatus, a 16to ſcilicet Ætatis ſuæ Anno.

Sed Anno poſt hujus *Aſtronomorum* PRINCIPIS obitum quaſi *ſeptimo*, TELESCOPIUM, Inſtrumentum apprimè neceſſarium, DEI optimi maximi in Gentem Aſtronomicam benignâ Providentiâ, fuit inventum, vel potius repertum; ut ex clariſſimi *Carteſii* verbis concludere licet. " Sed hoc " INVENTUM, *ait*, adeo utile & mirandum, non " ſine aliquo Scientiarum noſtrarum opprobrio, " vagis Experimentis & *Caſui fortuito* debemus: ante Annos " circiter *Triginta*, quidam *Jacobus Metius* vixit, *Alcmariæ* " (quæ Civitas eſt *Hollandiæ*) natus; Homo humaniorum " Artium prorſus expers; licet *Patrem* & *Fratrem Matheſios* " Cultores habuerit. Hujus ſumma voluptas erat *Specula* & " *Vitra uſtoria* formare, nonnulla etiam Hyeme componens " ex *Glacie*; quæ Materies, Experientiâ Teſte, non omnino " ad id inepta eſt. Quum igitur hac Occaſione, *Multa*, " eaque variæ Formæ *Vitra* ad Manum haberet, *proſpero* " *quodam Fato*, DUO ſimul Oculo objecit; quorum *Alterum*, " Medium paulò craſſius habebat quàm extremitates, *Alterum*, " vice verſâ, Extremitates quàm Medium multò tumidiores; " & adeo feliciter *Illa* duabus *Tubi* Extremitatibus applicuit, " ut *primum*, de quo loquimur, *Teleſcopium* inde extiterit: " atque ad *hujus unius* Normam, *Omnia* deinceps, quæ in " hunc uſque Diem habuimus, elaborata ſunt; neque adhuc, " quod ſciam, *ullus* extitit qui demonſtraverit ſufficienter " *quam Figuram hæc Vitra exigant.* Licet enim exinde multa " egregia Ingenia fuerint quæ hanc Materiam non parùm ex- " coluere, atque eâ Occaſione, Varia in *Opticis* invenere " præſtantiora iis quæ a Majoribus habemus; tamen quoniam " *operoſiora Inventa*, raro ſimul ac *nota* ſunt, ſummum *Per-*

Dioptrices Cap. 1um de Lumine, pag. 1.

" *fectionis* Gradum adipiſcuntur; ſatis multæ difficultates hic
" relictæ ſunt, ut ſcribendi Materiam mihi ſuppeditent. Hæc *Carteſius.* Veruntamen ſi Vir hic eximius in hunc uſque noſtrum Diem inter Vivos remanſiſſet, *Organa Teleſcopica* eorumque *Vitra* vidiſſet ad ſummum fermè *Perfectionis* Gradum provecta, *Eruditorum,* duntaxat, ſtudio & *Artificum* Dexteritate ac induſtriâ.

KEPLERUS, emunctæ naris Homo, Nobis oſtendit, quòd Luminis *Radii* a Medio rariori, ſicut noſter eſt *Aer,* in denſius, ut in *Aquam* aut *Vitrum,* tranſeuntes, ad *Perpendiculum* refringantur; & quod *Secantes* Complementorum Angulorum *Inclinationis,* Secantibus Complementorum Angulorum Refractorum, ſive *Refractionis,* proportionales ſint; *Coſecantes* autem quorumcunque Angulorum ſunt ad ſe invicem ut eorundem Angulorum *Sinus:* ac propterea CARTESIUS, limato cum Judicio, mentionem omiſit *Secantium* &c. & in eorum Vicem ſimpliciùs propoſuit, *Sinus Angulorum Inclinationis, Angulorum Refractionum Sinibus proportionales.*

In ſuis *Paralipomenis* ad Anno 1604 editis

CARTESII *Principia* & *Dioptrice* primùm Typis mandabantur Anno 1637 ut patet ex *Francorum* Regis LUDOVICI XIII. pro iſtis imprimendis ac *Edendis* Privilegio, *dato* 4to *die Menſis* Maii *ejuſdem Anni: ſed ejus Opuſculis, primò quidem* Gallicè *conſcriptis, eodem vel ſequenti Anno* in Manus Noſtratis Domini GULIELMI GASCOIGNE incidentibus, Magnus Ille *Mechanico-Aſtronomus* ad Teleſcopia, alio ac diverſo More conſideranda & tractanda, Animum appulit, quàm ab Ullo hactenùs conſiderata ac tractata fuiſſent: *Radios* enim *Luminis,* a duabus cujuſvis Objecti Extremitatibus venientes, ad omnia *Vitri objectivi* puncta, inveſtigans ille, extemplò invenit, quòd poſt *Radiorum* per Illud Tranſitum, *Imaginem* depingebant Objecti, ſive delineabant, in diſtinctâ *Teleſcopii* Baſi; & quòd *Lineæ* ab Imaginis duabus Extremitatibus ad *Vitri Polum* ductæ, éundem efficiebant ibidem Angulum, quem *duæ Lineæ,* ab eodem *Polo* ad Objecti duas Extremitates ductæ, formabant ad idem *Punctum* in aperto Aere.

Porrò & *Gaſcognius* animadvertens, quòd omnes *Cochleæ* benè fabricatæ ſtriæ eſſent ſimiles & æqualis Craſſitiei; idcircò Cochlearum *paria* Tubi ſui Lateribus ſic inſerenda machinatus eſt, ut Earum Extremitates, ope Revolutionum *Indicis* cujuſdam,

ſuſdam, facilè ac æquabiliter ſibi mutuò appropinquarent & a ſeinvicem recederent: tunc verò *Vitri* ſui *Objectivi* Diſtantiam a diſtincta *Baſi* in Recipiente, inveniens, *Angulos ſubtenſos*, per quemvis *Revolutionum* Numerum, vel per Cochleæ ſuæ ſtrias, facillimè determinare potuit, & etiam partes *Centeſimas* cujuſvis Revolutionis in *Baſi diſtinctâ*: atque hoc modo Solis Lunæque Diametros, ac Stellarum in *Pleiadibus* Diſtantias Intermutuales, *primo Tempore* menſurabat, circà, nimirùm, *Auguſti* Menſem Anno 1640; licèt enim haſce Machinationes Anno præcedenti, aut ampliùs antea, excogitaſſet, in Ordinem tamen illas redigere citiùs non potuerat.

Gaſcognius Sextantem *ferreum*, pro Diſtantiis in Cœlo menſurandis, ſibi fabricavit, cujus *Radius* (ut nunc maximè memini) erat 5 pedes longus, nullus autem *Limbus Æneus* nec *Dioptra Teleſcopica* Ei affigebantur; & exindè colligo Eum *Bello Civili* præpeditum fuiſſe, nè illud Organum exactè perficeret: nam in Motibus *Britannicis* generoſus hic Vir a partibus *Regiis* ſtetit, ac in Prælio apud *Marſton Moor* propè Civitatem *Eboracum* viriliter dimicans occubuit, (2do Julii 1644) magnâ, eheu, *Aſtronomiæ Mechanicæ* Jacturâ!

Veruntamen Richardus Townleius de *Townley* in agro *Lancaſtrienſi Armiger*, Matheſios perquam peritus, *Gaſcognii* Scripta & Inventa feliciter nactus eſt, ejuſque *Machinam* provexit & complevit, eique *Unam* addidit *Cochleam* ad idem præſtandum quod *Gaſcognius* duabus præſtiterat. Hac de Re aliàs prolixiùs Differendi Anſa mihi fuit; proindè impreſentiarùm tantùm dicam, quòd quum apud *Townley* fortuitò eſſem, Menſe *Septembri* Anno 1672, dictus Dominus *Townleius* Epiſtolas Domini *Gaſcoigne* ad Dominum *Gulielmum Crabtree*, alium *Matheſios* peritiſſimum virum, mutuò mihi dedit, unà cum ejuſdem *Crabtrei* ſcriptis Reſponſionibus; ex quibus omnes tam *Gaſcognii* quam *Crabtrei* Obſervationes tranſcripſi; Quæ omnes Typis mandatæ ſunt in Exordio *Voluminis primi Obſervationum mearum* apud *Derby*, Organo *Townleiano*, & hìc apud *Greenwich*, meo proprio *Sextante*, peractarum.

Ricciolus nobis præbet *Fixarum* Catalogum, quem in *Tres* diſtinguit *Claſſes*: Fixæ ad *primam* Claſſem ſpectantes, 101 Numero

Aſtronom. Reformat. a pagina 263, ad Paginam 279.

mero, a Seipſo & F. M. *Grimaldo,* in Horizonte *Bononiæ,* fuere obſervatæ, earumque *Longitudines* & *Latitudines* ex propriis ſuis Obſervationibus deductas exhibet; PLEIADIBUS tamen a *Vincentio Muto* & *Michaele Vincentio Langreno* obſervatis: haſce primo *Certitudinis* gradu indubias eſſe exiſtmat, ac in *Earum* Longitudinibus & Latitudinibus determinandis, *Eclipticæ* Obliquitatem ſemper ſupponit eſſe 23°, 30′.

Secunda Claſſis ex *Kepleri* Catalogo *Tychoniano,* in Tabulis *Rudolphinis* contento, conflatur; iſtius autem Numeros caſtigat, prout *Differentiæ* inter ſuos *primæ* Claſſis numeros iſtoſque *Tychonis* poſtulant; harumque Fixarum *Tabulam* nobis præbet *Hevelius* paginâ 135 *Prodromi ſui Aſtronomici*; atque has *Ricciolus* ſecundo *Certitudinis* gradu indubias eſſe computat.

Tertia ejus Claſſis eas comprehendit Stellas quæ nec a *Tychone* obſervabantur nec a *Seipſo,* ſed ab *Hipparcho* ac *Ptolemæo,* erant-que in Vicinia quarundam *Fixarum* quæ vel a *Tychone* vel a *Seipſo* fuerant obſervatæ: atque harum Numeri per *Differentias* inter Longitudines *Ptolemaicas* ſuaſque ſive *Tichonicas* erant caſtigandi. Has quidem tertio *Certitudinis* gradu indubias eſſe ducit, ab Errore tamen 10′ *Minutorum* Eas non abſolvit.

Quartam addit Claſſem, *Eas* nempe continentem quæ nec ab *Hipparcho* aut *Ptolemæo* (quod Sciamus) neque a *Tychone,* nec a *Seipſo* erant obſervatæ, ſed a *Nautis* & *Naucleris*; nec ad alias quam ad iſtas Conſtellationes *novas* prorſus a *Nautis* obſervatas verè ſpectant: quarum *Longitudinem* ad Finem *Anni* 1700 tantummodò reduxit, *Rudolphinæ* ſcilicet *Longitudini* (ſive *Nautarum*) addendo Motum Annorum 100, ſive 1°, 24′, 27″. Earum autem *Latitudinem* prorſus immutatam tranſcripſit ex *Rudolphino Catalogo.* Has in quarto *Certitudinis* gradu cenſet, deductas, nimirum a *Diſtantiis,* menſuratis ſpectato Radio ſive *Baculo Aſtronomico* (anglicè FORESTAFF) quo *Naucleri* utuntur & quem expertus eſt *Ricciolus* Minutorum aliquot Errori obnoxium: has, inquam, *Fixas* non *Ptolemaicis* certiores exiſtimare velit, donec alio & accuratiore modo fuerint obſervatæ. Adeo ut *Ricciolo* devinciamur, ejuſque *Amico* celebrato, ob Stellarum 101 tantùm *Loca* ab eis caſtigata. Utrùm verò *hæc* Loca *Tychonicis* præſtent, candidus *Hevelius* non

non suam fert sententiam; atque hoc solum dicam Ego, quòd nobis non liquet, num *Riccioli* Instrumenta vel ejus *observandi* Methodus, Istis Nobilis *Dani* fuerint præstantiora.

Prodom. Astrom. pag. 135.

Nam si haud pauci Observationum *Tychonicarum* Errores ex nudorum *Dioptrorum* usu necessariè consequantur, quotcunque tunc Errata in *Tychonis* Operibus ab ista Causâ oriunda, in *Hevelianis* etiam procul Dubiò notari debent, cujus *Organa Nudis* tantummodò *Dioptris* instruebantur, ejusdemque *Radii* erant cum istis *Tychonis*; at magis expeditè forsan & faciliùs in Observationis *Planum* dirigi poterant, sive in *Planum transiens* per *duas* Stellas observandas & per Collimatoris *Oculum*.

Hevelius, nostrorum Observatorum accuratiorum quum esset postremus, qui *nudis* usus est *Dioptris* in Organa sua affixis; ideo de ejus *Instrumentis* & *Catalogo* breviter dicam; etiamsi, Ratione Temporis quo floruit, aliquantò maturius hoc videri possit.

In Hevelii Organographia, *hæc describuntur Instrumenta a Seipso machinata.*

1. Quadrans *Orichalcicus*, cujus R*adius* tres erat pedes longus, sed absque R*egula*, & solo *Perpendiculo* instructus.

2. Sextans *Orichalcicus*, cujus R*adius* tres erat pedes longus, R*egulâ* Orichalcicâ instructus; & Cochleas tres directorias habebat.

3. Sextans *Chalybeus*, quatuor pedes quoad R*adium* complectebatur, & a peculiari quadam *Cochleâ* regebatur.

4. Quadrans *horizontalis* ligneus, quoad R*adium* quatuor Cubitorum, sive sex pedum erat: habebat *Arcum* Orichalcicum, *Pinnacidia*, Tenacula, Sustentacula, Globumque æneum cui insistebat.

5. Sextans magnus ligneus, cujus R*adius* sex pedum longus erat, ad Modum *Sextantis Tychonici* constructus.

6. Octans magnus ligneus, octo pedum R*adio* constabat, *Dioptras* continebat mobiles, quæ eâdem ratione ac illæ in *Sextante* sunt adornatæ.

7. *Tres Quadrantes* minores Orichalcici, quorum *Primus* unius & dimidii pedis ferme erat, *Alter* duorum pedum, *Tertius* unius tantùm pedis R*adium* continet.

8. QUADRANS magnus AZIMUTHALIS, quinque & amplius pedes quoad *Radium* complectitur; *Pedestale* istius sex pedes altus erat.

9. QUADRANS magnus *Horizontalis*, æneus, volubilis, *Radii* Longitudo ad 6 ½ pedes excurrit. *Quadrans* hic binis *Regulæ* Dioptris pro Observationibus Solaribus, nocte verò *Fistulâ* visoriâ ad observandas Stellas adornatus est.

10. SEXTANS magnus *Orichalcicus*, sex pedum & amplius *Radium* continebat. Hoc Organum ad subtiliores *Planetarum* & *Fixarum* Distantias dimetiendas *Hevelius* adhibebat.

11. OCTANS maximus *Orichalcicus*, quoad *Radium* novem fere pedes æquabat. Hoc Organum respectu Dioptrorum mobilium, Divisionum & reliqui ejus Apparatûs, cætera Instrumenta antea inventa longè antecellebat.

12. SEXTANS *portatilis*, ex puro Orichalco confectus, quoad *Radium* quatuor pedum longus erat: ope Sustentaculi versatilis dirigebatur.

Hevelii priora Instrumenta ex Ligno benè præparato erant fabricata; ejus *Quadrans* & *Sextans*, quorum *Radii* sex constabant Pedibus, cum *Limbis* æneis, Tractationi ac Usui apprimè adaptabantur; quùm verò Distortionibus & Contractionibus illa proclivia fuisse animadvertisset, Eorum vice *Organa* formavit *ænea* secundùm Exemplaria *Tychonica* ejusdemque Magnitudinis.

QUADRANS ejus *Azimuthalis*, N° 8. quo in Meridialibus SOLIS, *Planetarum & Fixarum* Altitudinibus capiendis præcipuè usus est, *Radium* habuit 5 & ampliùs pedum, atque *Circuli* Azimuthalis *Diameter* (cui insistebat *Quadrans* erectus) quatuor pedum erat. Hoc Organum PETRUS CRUGERUS, *Mathesios* Professor *Dantiscanus* celeberrimus, machinabatur Anno 1618; *Artifice* autem, Quo ad illud conficiendum usus est, moriente antequam absolveretur, Urbis *Dantiscan* Armorio adservabatur; ac istius Urbis ORDINES (quorum sumptibus fabricatum fuerat) illud *Hevelio* roganti, donò dederunt, qui ad Umbilicum illud perduxit: imò verò Mense *Octobri* Anno 1652 ad *Solis Stellarumque* Altitudines *Meridiales* capiendas, hocce Instrumento illum incepisse, illoque semper usum fuisse comperimus, ac ejus Ἀκρίβεια solâ fretum fuisse videtur:

tur: quanquam & *Alterum* poſtea machinatus eſt *Quadrantem*, Radium 6 ½ pedum habentem, N° 9. quem habemus delineatum in ſuæ *Organographiæ* paginâ 184, &c. ex ejus tamen Obſervationum *Ephemeride Hevelium* hoc altero rariſſimè uſum fuiſſe liquet; ſicut nec uſus eſt *ligneo* ſuo *Quadrante* (cujus Radius 6 erat pedum N° 4.) in dictæ ſuæ *Organographiæ* paginâ 114 deſcripto, ob Rationes ſuprà memoratas.

Præcipuum quo uſus eſt Inſtrumentum erat ejus SEXTANS, cujus *Radius* aliquantulô conſtabat ultra 6 pedes N° 10: Totum fuit ex *Ære* conflatum hoc Organum, & a Tergo *ferreis Coſtis* munitum; atque *Globo* cum *Scapo* ita fuit innixum, ut ope *Funium, Trochlearum* & *Cochlearum* in quodvis *Planum* flecti facillimè poterat & contineri. Maxima ſuarum Obſervationum pars, pro *veris*, præſertim, Stellarum & Planetarum *Locis* decidendis, hoc Inſtrumento peragebatur; & ab Iſto *Tychonis* in hoc ſolo differebat, quòd *Hevelii* Organum ex Metallo, nempè, ex *Ære* ac *Ferro* totum conſtabat; illud verò a *Nobili Dano* uſurpatum *Dioptra, Regulas, Cylindrum* ac *Limbum* ex *Ære* quidem habebat confecta; omnes autem iſtius *Coſtæ* ex *ſolido Ligno* erant ſtudioſè compactæ, ac *Panno oleoſo* obductæ, ut, ſcilicet, nec Calore nec Humiditate violarentur ſive corrumperentur aut intumeſcerent.

Hevelio alia quædam fuere Inſtrumenta ejuſdem cum *Tychonianis* tum Formæ tum Magnitudinis; num autem potiora, nec ne, fuerint, affirmatu erit difficile, ac proindè hac de Re quidpiam definire nequeo: videtur autem *Hevelius* Inventiones uſui Aptiores excogitaſſe, quàm *Tychoni* unquam fuere.

Sed inter *Hevelii* Organa nullas reperimus *Armillas* quales machinatus eſt Nobilis *Danus*, & quibus Stellarum *Rectas Adſcenſiones* Earumque *Differentias* per Obſervationes determinavit: illa quidem Inſtrumenta multum Commodi *Tychoni* præſtabant, quoniam dictas *Differentias*, ex obſervatis Diſtantiis, deducendi laborem Ei adimebant; qui Labor, ante *Logarithmorum* Inventionem erat & prolixus & moleſtus; nunc verò minori Negotio abſolvitur ac majori Certitudine: adeo ut non culpandus ſit *Hevelius*, quod Inſtrumenta minimè fabricaverit ſuis uſibus non neceſſaria, quanquam *Tychoni* valdè fuerant proficua.

Hevelius

Hevelius nullas esse *Refractiones*, quum Sol ultra Gradus 45 esset altus, cum *Tychone* supponebat; quâ Hypothesi *Poli* Altitudinem, apud *Dantiscum*, uno penè Minuto nimis amplam computavit. *Solis* etiam Parallaxin *Horizontalem* ampliorem concessit ultra Minuti semissem quàm ex Accuratis Observationibus fulciri potest, sive colligi queat; suasque admittebat *Refractiones*, (eas, duntaxat, infra *duodecim* Altitudinis Gradus) aliquot Minutis majores quàm reverà sunt.

Ex hisce Principiis erroneis maximam *Eclipticæ* Obliquitatem statuit fore 20°, 30′, 20″ id est, 1′, 20″ Justo ampliorem & maximam *Orbitæ* Terrenæ *Æquationem* 2°, 2′, 8″ quæ *Orbitâ* Terrenâ *Tychonianâ* 1′, 7″ minor est, & 5′, 48″ verâ major. Si verò *Tychonis* & *Hevelii* observationes *veris* castigentur *Parallaxibus* ac Refractionibus, *eandem* exhibebunt *Eclipticæ* obliquitatem, *easdemque Orbitæ* Terrestris *Æquationes*, quæ *Nostris* observationibus nuper sunt detectæ.

Hevelius porro nobis refert, se *vera* Stellarum *Loca* reperisse, *Solis*, nempe, Distantias interdiù a *Venere* metiendo, & noctù *Veneris* Distantias a Stellis; sed quibus usus est Observationibus, aut quas Deductiones hac in Re sive Concessiones (anglicè *Allowances)* fecerit, mihi planè incompertum est, ex ullis ejus Operibus quæ hactenùs in manus meas inciderunt: ac proindè existimarim facilè, quòd etsi Stellas in suo Catalogo contineat *Hevelius* duplo fermè plures quam *Tycho* in suis *Progymnasmatis* rectificaverat; *Tychonis* tamen *Loca* æque accurata esse ac æque vera repertum iri, propter meas Rationes hìc allatas.

Inter *Tychonem* & *Ricciolum* Gassendus, ob Astronomica sua observata & scripta, celeber evasit: Eum autem ullis usum fuisse Organis non comperimus, præter *vulgaria Telescopia*, parvos *Quadrantes* & *Baculum* sive Radium Astronomicum *(Forestaff)* pro metiendis in Cœlo Distantiis.

Hevelius præterea nobis narrat, quòd *Monocerotis* Constellationem formare ceperit *Gassendus*, ex quibusdam Stellis quas *Orionem* consequi observasset; sed quòd opus reliquerit imperfectum. *Hevelius* verò, aptis Instrumentis instructus, illud *Organum* ad umbilicum perduxit; & *Gassendi* Exemplum sequendo, quas in aliis Cæli Locis observavit Stellas, Constellationum huc usque delineatarum cuivis non inclusas, *Formis*

Formis vel *Imaginibus* veſtivit a ſeipſo excogitatis; quod *Illi* æque ac *Ptolemæo* facere licebat, Illumque hac in re imitari, Juſtam ac debitam, pro illius opera, ſumptibus & labore præviis, Recognitionem eſſe cenſeo.

DE OMNIBUS ILLIS VIRIS huc uſque egi, qui in *veris* Fixarum *Catalogis* exhibendis ſudarunt; omneſque illos *Viros* perilluſtres conſultò prætermiſi, qui in *Tabulis*, ad repræſentandos *Planetarum* Motus, formandis, operam collocarunt ſuam; de *Quibus*, Eorumque operibus, qui plura ſcire cupit, Eorum *Catalogum* conſulat a *Ricciolo* traditum *in Almageſti ſui Volumine primo*, Bononiæ *excuſo*, Anno 1651.

CIRCA Autumnum Anni 1671 *Diſtantias* in Cœlis minutas apud urbem *Derby* metiri aggreſſus ſum, *Tubo* ſcilicet quindecem pedes longo; ac interdum altero dimidiæ Longitudinis Tubo, *Organoque Townleiano:* quibus non ſolùm LUNÆ *Syſtemata* vulgò recepta, ſed inſuper *Fixarum* in Catalogis *Tychonianis* Loca, ſæpiſſimè deprehendi erronea ac defectiva.

Anno 1675 ineunte, quum *Londini* verſabar, *Gallus* quidam LONGITUDINI detegendæ parem ſe prædicabat, ac ejuſcemodi *Data*, pro iſtâ inveniendâ, poſtulabat, quæ Iſtius audaciam ſimul & ignorantiam prodidêre, *viz.* "1. Annum ac Diem "obſervationis requirebat. 2. Duarum Stellarum Altitudi-"nem & in qua Cœli Parte, *Meridiani* reſpectu, apparebant. "3. Binorum LUNÆ Limborum Altitudinem. 4. Poli Alti-"tudinem ad Gradus uſque ac Minuta. Delegati conſtituebantur ad propoſitiones ejus expendendas, & quum in Eorum numerum eſſem admiſſus, Iſtorum *Datorum* ei Copiam feci; quæ quidem tractare neſciebat bonus Vir, eaque afferendo eſſe *fictitia*, ſemetipſum excuſabat: cui reſpondebam, hæc *Data* non eſſe *fictitia*, & quod etiamſi reverà eſſent, huic tamen Negotio ſat benè inſervirent, ſi, duntaxat, *Catalogi* vera Fixarum loca exhibentes, & *Tabulæ*, loca LUNÆ obſervata ad ſemiminutum referentes, Nobis non deeſſent, quibus tunc Temporis carebamus: *Tychonica* enim Fixarum *Loca*, ad 3, 4 aut 5 Minuta ſæpiſſimè errabant; & *Loca Lunæ*, ex optimis etiam *Tabulis* computata, ad 5, 10, 15, aliquandò ad 20 Minuta erant falſa: atque inſuper, priuſquam Locorum *Longitudinis* ex *Lunæ* ac *Stellarum* obſervationibus inveniendæ, tantoperè deſideratæ, Spes nobis affulgeat, quòd Loca *Fixarum* correcta adipiſci, omninò eſſet neceſſarium, & ejuſmodi *Tabulas Aſtronomicas*

in promptu habere, quæ veros *Lunæ* Motus intra unum five duo Minuta præberent; & ad utraque hæc confequenda, opus effet luculentâ Obfervationum Cœleftium copiâ, tàm ratione *Stellarum* quàm *Planetarum*: ad has autem comparandas,quòd *nova* & *ampla* Organa ex folido metallo fint fabricanda, Dioptris *Telefcopicis* inftructa; præfertim quum maxima Errorum Pars in *Tychonis* Catalogis, procul omni dubio, orta fuerit a difficultate exactè collineandi ad Stellas per *nuda* Dioptra, quibus, nempe *nudis* Dioptris,in fuis circà Lunam Obfervationibus, res magis ardua continuò evafit.

Carolus II. *Britanniarum* Rex,horum certior factus, illa certò effe peragenda Regio more dixit; ut fui nempe *Naucleri* & *Nautæ* nullâ deftituerentur Ope a *Cœlis* fuppeditandâ, quâ fecurior fieret *Navigatio.* Idcirco *Regi Sereniffimo* Observatorium ædificandum edicere placuit, & ut Sumptus Ædificio ifto neceffarii, ab Inftrumentorum *Bellicorum* Foro fuggererentur; quandò Jonas Moor *Eques*, *Organorum* Bellicorum tum temporis *Curator Generalis* (Qui me, ut operi huic Aftronomico idoneum, *Regi* commendaverat, & durante fuâ vitâ, omnibus oblatis occafionibus, mihi femper amiciffimum femetipfum præbuerat, & pro Rebus *Obfervatorii* ædificandi folicitum) ftudiofe curavit, ne quid Operi promovendo & perficiendo deeffet.

Æftate Anni 1670 familiaritatem cum celeberrimo Domino *Moor* contraxi, quo tempore *Townleii Micrometrum* mihi dono dedit; ac infuper eodem Tempore, *Vitra* optima pro Tubis 15 & 7 pedum acquifivi, quibufcum, Organoque *Townleyano*, omnes meas Obfervationes apud *Derby* peregi, *Annis* nimirum, 1671, 1672, 1673, & 1674: *Vitra* hæc præftantiffima *Londinum* mecum attuli, unà cum *Quadrante* ferreo, cujus *Radius* trium erat pedum, & cujus *Limbus*, ex Orichalco fabricatus, diagonaliter fuit divifus, cui etiam *Index Telefcopicus* erat appenfus; quo Inftrumento in ejufmodi Obfervationibus ufus fum, quas apud *Greenwich* peregi, antequam Observatorium mihi recipiendo paratum & accommodum extitit.

Inter hæc, *Sextantem* machinatus fum (cujus *Radius* erat ultra 6 pedes) ex Ligno primùm, poftea ex Ferro fabricatum, cui *Limbus* æneus fuperinductus erat, duorum pene Digitorum quoad Latitudinem, ac $\frac{1}{3}$ digiti quoad Craffitiem; ex Sumptibus

tibus, nimirum, præfati viri generosi JONÆ MOOR *Equitis*, qui *Limbum cochleatim* insinuandum, & Indices *Telescopicos* a D^{no} *Tompion*, Artificum suæ ætatis præstantissimo, insigendos, curavit. Postea ne quis Jure hunc sibi vendicaret, coram duobus Testibus fide dignis gratis in me contulit, cum hoc speciali Mandato, si, duntaxat, e *Greenwich* excederem, unà mecum *Sextantem* transferrem; si non verò, ut illum solerti Cuidam & ingenioso Viro, qui Usibus destinatis Illum applicaret, Testamento legarem: Atque cum hisce *Organis*, & duobus *pendulis Oscilatoriis annuis*, a dicto *Jonâ Moor* constructis, & ab Eodem mihi Dono datis, unà cum alio *Pendulo hebdomadario* ad meipsum spectante, Mense *Augusto* Anni 1676, OBSERVATORIUM *ingressus*, Fixarum Distantias Intermutuales, & ex iisdem Planetas, Mense sequenti exeunte, mensurare sum auspicatus.

Hæ mearum Observationum præcipuas, a primo in *Observatorium* Ingressu usque ad *Septembrem* Anni 1689, complectuntur: Ideoque hujus *Organi* & singularum ejus partium *Descriptionem* tradere accuratam, hoc in *Loco* necessarium duxi; quæ omnia dictus Dominus *Moor* propriis Sumptibus delineanda & excudenda efficere dignatus est, unà cum quibusdam *Observatorii* Prospectibus impressis, quos etiam mihi benignè largitus est.

RADIUS hujus *Sextantis*, a Centro ad extremum in *Limbo* Circulum (in quo singuli *Gradus* in 12 partes sunt divisi) 6 pedes & 9 $\frac{1}{4}$ digitos Longitudine complectitur, sive 81 & $\frac{25}{100}$ Digitos; atque *Fulcra* ex Ferro malleato consistunt. Prope centrum Suspensionis est *Lamina* rotunda A, 9 digitos lata, & 1 $\frac{1}{2}$ crassa, cui sunt 10 Costæ subscudatæ duos extremos Radios sustinentes, 1 digitum latæ, & 1 $\frac{1}{2}$ crassæ, ubi, scilicet *Laminæ*, A insiguntur, sed arctiores evadunt ac depressiores prout extremo, cui cochleatim insiguntur, Radio appropinquant. Septem parvæ *Trabes*, ex solido tamen Ferro conflatæ, sub *Limbo producto*, sustinent Regulam ferream depressam, duos circiter Digitos latam & Semidigitum crassam, septem circiter Digitos a Parallelo latere *Sextantis* distantem, & super *Limbum* insistentem: super hac Regulâ, Telescopii fixi *Vitra* locantur, & exinde *Spatium* pro duorum *Observatorum* Capitibus acquiritur, ut *parvam* Distantiam, pariter ac *amplam* observare facillimè queant. Sextantis *Limbus* in eodem est plano cum binis

binis *Radiis*, & ex Ferro fabricatus, 1 $\frac{1}{2}$ digiti latus, & *Laminâ* orichalcicâ, haud parùm latiori, & $\frac{1}{4}$ digiti craſſâ, obducitur; cujus Limbi *Margo* extrema, *Acie* Cochleæ *Chalybeæ*, 17 *Strias* intervallo unius digiti complectentis, curioſè & exactiſſimè denticulatur; quarum *Striarum* Revolutiones, in propriis Circulis, propè ipſas *Strias*, ſuper Limbi *Planum* ductis, numerantur: Intra hos autem *Circulos* ſunt *Gradus*, *Diagonalium* ope diviſi, ubi *Diſtantia* inter ſingulas *Diagonales* eſt 5 Minutorum, & *Limbi* Latitudo, ubi hæ *Diagonales* inſcribuntur, $\frac{63}{100}$ unius Digiti comprehendit: hinc totum illud *Spatium* in quinque *partes* dirimitur, in Margine *Quadrati* æneï quod *Indici* annectitur, & ſingulæ ex hiſce *particulis* (ſive Minutis) in 6 alias diſtribuuntur, 10 *Secunda* ſigillatim repræſentantes: propterea, haud ardua Res eſſet *Angulum* in Cœlis, aut *Diſtantiam*, ad tantam Ἀκρίβειαν metiri, ſi *Arcum Circuli* tam accuratè Artificio humano dividi poſſe, nobis planè conſtaret: num verò Id fieri queat, Dubium remanet; præſtat tamen ad ſummam niti Ἀκρίβειαν, quum præſertim *Teleſcopia* ultimæ perfectionis conſequendæ anſam præberent, ſi *Senſuum* perceptiones & *Manuum* operationes, pariter eſſent ſubtiles, ac *Oculi* ſunt ad videndum perſpicaces.

Sed ut *Gradûs* in hoc *Sextante* amplitudo, & *Indicis* per *Limbum* circumductio, clariùs intelligatur, iſtius *Limbi*, unà cum *Indice*, portiunculæ cujuſdam *Schema*, hìc exhibendum duxi; quæ quidem *Particula*, ejuſdem eſt cum *Archetypo* Magnitudinis; ſicut etiam hìc trado Graduum *Diagonales* ſub *Indice* cadentes, atque *Diviſiones* in Margine *Quadrati*, quod *Indicis* vicem explet.

Vide *Fig.* ad Finem horum *Prolegomenῶν*

Hujus Figuræ *Deſcriptio.*

Index mobilis I K circa *Centrum* Inſtrumenti revolvitur, & binis *Vitris Teleſcopicis* convexis inſtructus eſt, atque ad Diſtantiam *Vitri Opthalmici* ab oculo verſus *Vitrum Objectivum*, *Cellâ* ornatur duo *Fila* decuſſata ſuſtinente, quæ *Pinnacidiorum* in Organis vulgaribus vicem præſtant. Inſtrumenti *Faciei* poſteriori, inter *Limbum* & *Radium* dextrum, *Fruſtum* Ferri ſpiſſum affabrè, quidem elaboratum, affigitur, cui ad S & S adaptantur duo *Scapi* ex *Orichalco* craſſi; ut duas extremitates *Diametri* N N, in *Semicirculo* denticulato FF recipiant;

quæ

quæ *Diameter*, unâ cum *Scapis* quibus Diametri Extremitates *Cylindricæ* intruduntur, *Teleſcopio fixo* BB parallela ſemper ponitur. Ad *rectos* etiam *Angulos* cum ferreâ *Regulâ*, majorem *Semicirculum* ad poſteriorem *Sextantis* faciem ſuſtentate, affigitur alia *gracilior* Regula ferrea, quæ alterum *minorem* & exiliorem *Semicirculum*, ad *rectos* cum Plano *Majoris* Angulos, inſiſtentem, fulcit, cui annectitur, *Fibulæ* ferreæ Interventu 7. 7. (*ut in* Figura *videre eſt*.) In cujus *Semicirculi* fundo *Cochlea* perennis locatur, quæ *Manubrio* ſuo, 10, movet & inclinat Organi *Planum* ad quemlibet *Angulum* quæſitum cum plano *majoris* Semicirculi ſive *Meridiani*; ſic enim appellari poteſt, quum illius *Planum* ſemper in *Axe* jaceat, *Axi* Mundi parallelo. *Axis* p. p. ex ferro fit elaborato, quoad *Diametrum* tres circitur digitos, parte quidem inferiori rotundus, ad faſtigium verò penè quadratus, unà cum *Fiſſura* in eo affabrè factâ, ejuſdem cum *Meridiano*, ſive *majore* Semicirculo, craſſitiei, cujus Centro infigitur prope Verticem D; atque Semicirculi *Circumferentia denticulata* revolvitur ab aliâ *Rotâ* itidem *denticulatâ*, quæ ab alterâ rurſùs *Rotâ* revolvitur, quæ denique Motum ſuum recipit a *Cochlea* perrenni & *Manubrio* ad X. Atque mediante hoc *Semicirculo Teleſcopium* fixum BB, in Parallelo, ſive *Declinatione* Sideris alicujus ponitur. Paululùm infrà iſtius medium, in *Scapo* Q recipitur *Axis* in vertice *Fruſti* ex *Quercu* ſolida erecti, cum quo Fruſto *Axis* Angulum, *Latitudinis* Complemento *æqualem*, efficit: *Fruſti* hujus *lignei* erecti faſtigium maſſàm *Æris* ſuperimpoſitam ſuſtinet, in qua *Semiſcapus* fabrefactus eſt, ut ſcilicet *unum* Axeos *Latus* recipiat, quod ſuper Eo incumbit ac innititur; *alterum* verò *Axeos* Latus *altero Semiſcapo*, ex ære craſſo, prioris inſtar, cooperitur, qui mediantibus quatuor *Cochleis* firmis *priori* ſemiſcapo adjungitur; adeo ut *Axis* inter utrumque facilè ac firmiter abſque concuſſione aut vacillatione circumgyretur, niſi a cauſis violentis & extraordinariis e loco ſuo deturbetur. *Extremum* hujus *Axeos* inferius, in Figuram conicam limatum & efformatum, in Cavitatem admittitur conicam, conſtantem ex ſolidâ æris maſſâ huc & illuc mobili, ſuper *Pedeſtali* ad R. *Axis* hic, unà cum duobus *Semicirculis denticulatis*, hujus Machinationis pars eſt præcipua, ut Organi *Planum* adducatur in Planum per *duas* quaslibet Stellas

 tranſiens:

transiens: Nam si *fixum Telescopium* B B, ope *majoris* Semicirculi F F, dirigatur, donec aliqua *Stella* in *Filorum* Medio vel propè *Fila* decussata appareat; tum *Telescopio* apud Stellam detento, Instrumenti *Planum* ita moveri poterit, ut *Indice* mobili per *Limbum* traducto, quævis *alia Stella* in *Telescopio* secundùm *rectam lineam* conspici possit, & istius Stellæ *Distantia* a priori sumpta, nullo negotio mensurabitur; atque hæc *Mensura* non variat, quanquàm Iterata pro *Inclinatione* in Instrumenti *Plano*; quod necessariò evenisset si *Axis* in Situ erecto fuisset constitutus, sicut Tychonis atque Hevelii *Sextantibus* accidebat. Quicquid ulteriùs hoc de Organo cognoscendum est, patebit ex Figuris, quas inspicere & sedulò nsiderare Lector admonetur.

Priusquam fabricatus est Sextans, rogavi ut Quadrans sive Arcùs prius fieret pro capiendis *Fixarum* a Vertice Altitudinibus Meridionalibus sive Distantiis; quod mihi quidem promissum erat: Quidam verò *Regiæ Societatis* Frater, qui semper sua Inventa magnoperè ostentabat, Quadrantem illum machinari obnixè voluit. *Murum* tunc Meridionalem, cui affigeretur, præparandum curavi; ast quum aptus esset Quadrans ut Conspectui sisteretur, inutilem eum futurum deprehendi, ob ingens, nimirum, binorum Indicum pondus: Nihilominùs hoc Organum tentari voluit Vir artificiosus; itaque Muro, sicut rogabat, affigebatur; sed, prout expectabam Ego, inutile compertum est. Undè mensurandis in Cœlo Distantiis, Sextante nempè supradicto, Animum appuli, earumque Copiam mediocrem nactus sum, sub finem Anni 1676 & sequentis 1677: Comperiens autem *Cochleæ* strias Marginem Limbi attrivisse, Sextantem in partes resolvi, Gradus in Limbo distribui ac Diagonales duxi, ut in Schemate; *Tabulamque* Revolutionum, & Partium singulis Gradibus & Minutis Arcûs divisi respondentium, confeci; quibus facilè investigare poteram, num Partes aut Revolutiones Cochleæ, Gradibus & Minutis in Limbo numeratis, congruerent; aut si quivis Error irrepserit, corrigere valebam. Hucusque *Cochleæ* Revolutiones in Gradus, Minuta & Secunda converteram, ope *Tabulæ* in hunc finem conflatæ, quam ex Angulis Terrestribus studiosè notatis deduxeram; jam verò *Tabulam* cum Diagonalibus inscriptis conferendo, Illam ad integrum ferè Minutum erroneam aliquando deprehendi: Ideoque Revolutiones,

Revolutiones, in Gradus, Minuta & Secunda, rursùs converti, ope Tabulæ *novæ* in hunc Effectum compositæ; atque hæ sunt Distantiæ in Historia Cœlesti pro Anno 1678 impressæ.

Appropriato, pro capiendis Meridionalibus Stellarum a Vertice Distantiis, Organo opus habens, ad Intermutuales, nempe, Illarum Distantias connectendas, quasdam Sextante meo nancisci machinatus sum; & mense *Decembri* 1677 maximas & minimas a Vertice Distantias observavi. Inde *Observatorii* Latitudinem, Refractione castigatam, repertam habui 51°, 28′, 10″; & Distantiam Stellæ *polaris* a Polo ———— 2°, 25′, 10″

At simul conferendo Stellæ *postremæ* in Cauda *Ursæ majoris*, distantiam a Vertice observatam, versus Austrum, viz. ———— 32°, 10′, 0″

Ejusque a *Stella* polari distantiam, viz. ———— 41°, 23′, 0″

& Rectarum Adscensionum datarum differentias viz. 164°, 9′, 0″

Simplicem invenio Latitudinem ———— 51°, 29′, 22″

Sed Refractione castigatam ———— 51°, 28′, 30″

Sicut deinceps *murali* meo *Arcu* definivi.

Præterea plurimæ Observationes, eo ac sequentibus Annis, usque ad 15^{tum} *Septembris* Diem Anni 1680 sunt institutæ: at exploratum habens, pondus *Indicis* mobilis, in singulis Translationibus, *Locum* Perpendicularis indesinenter mutasse, ipsumque *Organum* ægrè admodum sub Plano Meridiani defigi posse; Organum illud seponere cogebar: ideoque *aliud* machinatus sum, quod & propriis meis sumptibus fabricavi, ejusdem propemodum *Radii* cum meo *Sextante*; Hoc verò in Gradus propriâ manu partitus sum, sicut in Sextante non ita pridem feceram; Eoque haud paucas *Meridionales* a Vertice Distantias *Fixarum* Insigniorum, & quasdam etiam *Planetarum* detexi, ab Anno 1683, ad Annum usque 1687. A quibus, unà cum Observationibus Sextante meo institutis, Catalogum deduxi, qui complecteretur Rectas Adscentiones *veras*, Distantias a *Polo*, Longitudines & Latitudines *Fixarum* ferè 130; usque ad initium Anni 1686; quo *Catalogo* deinceps usus sum usque ad Annum 1696 (quando pleniorem longè & accuratiorem formare aggressus sum) & in computandis *Cometarum*, *Planetarum* superiorum, *Lunæque* Locis, Illum eatenus adhibui: quæ Omnia consiliorum meorum Sociis, præsertim Domino *Bosley*, Isaaco Neutono Equiti, aliisque, usque ad Annum præfatum 1696 impertitus sum; sub hac tamen perpetuâ Conditione, ne quemlibet alium horum participem redderent,

redderent, aut ulli divulgarent; quoniam meliori & ampliori *Catalogo* componendo tunc Temporis incumbebam, ex quo perfecto tandem & absoluto, earundem Stellarum Computatio rursùs institueretur. Sed post quatuor Annorum explorationem sive experientiam, Organum hoc debile nimis ac tenue animadvertens, de Pariete illud detraxi, atque varias ferreas firmasque *Costas* & *Limbum* novum ex Ære solidum ei addidi.

Hucusque DEUS *optimus Maximus* mihi fuit Adjumento; atque ut *Spiritus* ejus Sanctus & benignus me in posterum adjuvet, omnesque meos Labores & Conatus, prospero Eventu & Exitu felici, clementer secundet, humillimè precor; ut opera mea tandem consummata & exacta, quâ possum Diligentiâ, *Creatoris* omnipotentis Laudes & Gloriam celebrent inter Vivos postquam Ego Fatis concessero.

Mense Majo 1688 *J. Stafford* meus Amanuensis diem obiit supremum, & Augusto proximè sequenti *Abrahamum Sharp* illius vice conduxi, qui *Mechanices* perquam expertus, pariter ac *Mathesios* peritus, *Limbi* Marginem *Cochleis* firmavit, Gradus exsculpsit, *Indicem* adaptavit, omnesque ac singulas ejus partes tam affabrè fabricavit, ut omnibus Artificibus expertis, qui opus illud conspexerunt, admirationi fuerit.

JAM ad *Arcûs Muralis* Descriptionem deventum est. In hoc fabricando præcipuè fuit occupatus dictus Dominus *Sharpius*, servus meus fidelissimus, ac omnibus quidem Dotibus & Facultatibus erat imbutus, quæ ipsum tam subtili ac difficili Operi obeundo idoneum redderent. Quatuordecem Mensium operâ, & Pecuniæ numeratæ summâ, ultra 120 libras, mihi constitit hoc Organum; cujus Descriptionem hìc tradam, & postea ostendam quo pacto meus *Fixarum* CATALOGUS deducebatur ex Observationibus institutis per 30 penè Annos, a me, ope hujus Instrumenti, postquam absolutum erat.

Vide Figuram ad Finem horum Prolegomenon.

Radius a Centro *Arcûs* ad Limbum *Cochleatum* est $79\frac{1}{2}$ digitorum, & a Virgis, sive Radiis, vel *Trabibus* ferreis subtenditur seu sustentatur; quarum superior *Trabs* C L & *media* C R, sunt crassiores, cæteræ verò graciliores: ad Rectos cum *media* C R Angulos, alia crassa *Trabs* ferrea E K insistit, & ex parte posteriore, sub E, ubi connectuntur, magnus locatur *Clavus* ferreus, qui firmo *Quercûs* frusto intruditur, quod

parieti

Parieti affigitur, adeoque *Arcui* aliiſque *Coſtis* Arcui junctis ſuſtendandis aliquantulum confert, in locis viz. d d notatis. Alia *Coſta* ferrea ponderoſa r l huic parallela in *Fulcro* ponitur, quæ tribus *mediis* Radiis in punctis nempe c, c, c, connectitur, unà cum *inferiori* Limbi *Facie* prope puncta l & r. atque ubi *Radii* 2^{dus} & 4^{tus} maximam *Trabem* ferream tranſgrediuntur viz. a puncto d ac d, *duæ* aliæ *Trabes* corroborantes d b ac d b, uſque ad *duos* extremos *Radios* apud b ac b, & ad ſuperiorem *Trabem* tranſverſam elevantur apud g.

Omnes *Radii* e r, C R, c r, r r ſupremæ *Trabi* ſolidæ l, m, ſub *Centro* c ad o, o, o, o, affiguntur, totumque Organum a duobus ſpiſcis ex ferro Fulcimentis ſub præfatâ *Trabe* ſupremâ apud N & N ſuper *Pariete* pendet ac ſuſtentatur.

Muro Meridionali (cui affigitur) diverſa *Ligni* Fruſta adaptantur, quæ *Arcum* ab eo remotum ſuſtentant, & ope ferri *Cuneorumque* ligneorum, *Arcum* ſtabilem & ad eandem conſtanter a *Muro* Diſtantiam detinent; ita ut cedere nequeat, niſi *Paries* ſubſidat vel a Perpendiculo deflectat. Arcûs *Index* ad modum *Indicis* in *Sextante*, efformatur, ſed multò ponderioſior eſt, & ad Relevamen Manûs quæ illum attollit ac deprimit, *Funiculo* alligatur, qui ope *Trochleæ* ac *Æquilibrii*, magnam *Ponderis* partem demit, & haud difficulter Viro cauto tractabilem reddit. *Teleſcopio* Vitrorum convexorum, & *Filorum* decuſſatorum pari, ſicut *Index* Sextantis, inſtruitur hic *Index*, & circa *Limbum* fertur, *Cochleæ* huic applicatæ Interventu, quæ eodem modo, quo ipſe *Index* circumducitur, & propterea ulteriori Deſcriptione non eget.

Ut autem inveniatur, ubi *Diviſionum* Initium in *Arcu* locandum erat, poſtquam *Perpendiculum* Fili *orichalcici* ſubtiliſſimi in Locum *Indicis* convenientem aptaveram, ita ut liberè ſuper *Laminâ* Indicis menſurante oſcillaret; *Cellam* Fila decuſſata ſuſtinentem ſic vertebam, ut Stella *fixa* Meridianum tranſeuntes per *Filum* menſurans moverentur: tum *Indice* demiſſo, verſus ZENITH, Die 15to, 16to & 17mo *Julii* 1689, Tranſitum Stellæ *lucidæ* in Capite *Draconis* per *Meridianum*, ſive tranſverſè per Fila menſurantia obſervavi; primò quandò *Index* verſabatur ſuper *Organo*, cujus *Planum* verſûs Orientalem Cœli Plagam ſpectat. Eodem tempore Dominus *Sharpius* meus tunc contubernalis, qui hucuſque varias Inſtrumenti Partes fabricaverat, *Punctum* notaverat in *Plano*

Indicis menſurante, ſuper quo *Perpendiculum* oſcillat; bonum *Vitrum* Teleſcopicum *Opthalmicum* convexum adhibens, in Oculi ſui ſubſidium. Nocte autem proximò ſequente, *Index* ad oppoſitum *Murum* Meridionalem (qui Occidentem verſùs ſpectat) removebatur, ubi *Centrum* & *Arcus* huic recipiendo adaptabantur; atque *Indice* ac *Perpendiculo*, ſicut antè, ſuper *Arcu* aptatis, ejuſdem *lucidæ* Stellæ in *Capite* Draconis *Tranſitus* rurſùs obſervabatur, & per idem Tempus Dominus *Sharpius Punctum* in *Arcu* notavit ſuper *Indice*, in quem *Perpendiculum* oſcillabat; & *Punctis*, unà cum *puncto* intermedio, per experimenta repetita determinatis, *Index* ſuper *Arcu* iterum conſtitutus eſt, & *Cochleâ* movebatur, uſquedum Perpendiculum *ſubtile* exactè incidebat in Medium inter *duo puncta* Obſervationibus ſupramemoratis definita; quandò, nempè, ſuper *Plano* Muri *Occidentali* & Inſtrumenti *Plano* ponebatur. *Indice* ita locato, *Linea* tranſverſè per *Limbum*, Margine Indicis *fiduciali*, ducebatur, pro principio, nimirum, *Diviſionum*, non ſolùm quoad *Gradus* & *Minuta*, ſed etiam quoad Cochleæ *Revolutiones*, quæ *Oram* Limbi *denticulatam* apprehendit, & *Indicem* per omnes ejus partes circumducit, atque Cochleæ *Revolutiones*, ſimul & *Gradus* ab hac Linea in *Limbo* utrinque numerantur.

Limbi complanati *Faciei* exteriori inſcribuntur *Revolutiones*, inque ſpatio $\frac{2}{10}$ partium digiti lato numerantur, intra quod Diagonales conſiſtunt pro ſingulis 5 *Minutis*, nempè inter *duos* Circulos, quorum Intervallum eſt unius ac $\frac{17}{100}$ Digiti: nulli hìc ſunt circuli *concentrici*, ſed *Laminæ* æneæ *Margo* fiducialis ſuper *Indice*, in quinque partes dividitur, non præciſe quidem *Æquales* (licèt ita fieri potuiſſent abſque quovis Errore ſenſibili) ſed *Inæquales* ſecundum Numeros in *Tabella* hìc annexa: namque poſitâ Partis in *Limbo* diagonalis Latitudine unum quaſi digitum & $\frac{27}{1000}$ partes digiti, *Diſtantia* ſingularum ab *intimo* Circulo *Diviſionum*, Diagonales terminante, accuratâ Computatione deprehendetur, prout inibi ſpeciatim deſignatur, viz.

	Tabella
1	251
2	503
3	757
4	1013
5	1270

Spatium inter quodque Minutum in *ſex* partes æquales diſtribuitur, quarum idcircò unaquæque $\frac{4}{100}$ digiti partes paululùm excedit; adeo ut in hoc *Organo*, ſingula 10″, vel ſaltem Eorum pars dimidia ſciz. 5″, diſtingui poſſunt.

In *Circulo* ſupra hæc *Gradus* deſcribuntur, ſive numerantur & exſculpuntur, artificioſa manuali operâ dicti Domini *Sharp*, qui *Limbum* partitus eſt, *Diagonales* duxit Totumque *Organum* abſolvit ac perfecit; adeo ut præſtantiſſimi quivis Artifices, poſtquam illud conſpexerunt & conſiderarunt, ſe exactiùs id peragere non potuiſſe, agnoverint.

Rectarum Solis Adſcentionum *Differentiâ* ſic definitâ, inter 7um ac 14tum *Martii* atque 15um *Septembris* ſequentis, *vera* Solis *Recta* Adſcentio, dicto 7mo *Martii* ac 15to *Septembris* facilè determinabitur hoc modo, viz.

15to *Septembris*, Solis a Vertice *Diſtantia* major erat, ideoque illius *Declinatio* Auſtralior quam fuit 7mo *Martii* per	0 2 55
ergò *Recta* ejus Adſcentio remotior erat a *primo* puncto ♋ per	0 6 46
cujus Dimidium eſt	0 3 23
quo *Dimidio* ablato ex *Semidifferentia* Rectæ *Adſcentionis Martii* 7mo ac *Septembris* 15to, ideſt ex	92 28 30
viz.	0 3 23
reſtat	92 25 7
quod *Reſiduum* ablatum a *primo* puncto ♋ relinquit Solis *Rectam* Adſcentionem 7 *Martii*	357 34 53

at

ac *Differentia* Rectarum Solis Adscensionum 7mo *Martii* ac 15to *Septembris* hactenus determinata est — 184° 57′ 0″

cujus Dimidium est — 92 28 30
si huic addantur — 0 3 23

Recta Solis Adscensio a *Coluro solstitiali* 15to *Septembris* statuitur — 92 31 53
vera igitur ejus *Recta* Adscensio tunc Temporis erit 182 31 53
Hinc *verus* Solis *Locus* 7mo *Martii*, Meridie ♓ 27 21 48
ac 15to *Septembris* — ♎ 2 45 37

Rectarum Solis Adscensionum *Differentia* inter 14um *Martii* ac 15um *Septembris* ex Observationibus circa *Solem* pro istis Diebus reperitur, viz.

per *Calcem* Castoris — 178° 36′ 0″
per Procyonem — 178 36 5
per Pollucem — 178 36 20
Media inter has Differentia — 178 36 8

At hanc *Mediam* subtrahendo a Solis *Rectâ* Adscensione 15to *Septembris*, viz. — 182 31 53
— 178 36 8

remanet ejus *vera Recta Adscensio* 14to *Martii* Meridie — 3 55 45
quæ *verum* dat ejus *Locum* — ♈ 4 17 7

Sed ex Tabulis meis *Solaribus* vetustis, *verus* Solis *Locus*

7mo *Martii* Meridie fuit — ♓ 27° 20′ 48″
14to *Martii* — ♈ 4 16 18
15to *Septembris* — ♎ 2 46 47

Ex observatione autem

7mo *Martii* — ♓ 27 21 47 + 0 59
14to *Martii* — ♈ 4 17 18 + 1 0
15to *Septembris* — ♎ 2 45 37 − 1 10

Quum verò Solis *Loca* ex *priscis* meis Tabulis sint propè Æquinoctium *Vernum* tardiora quoad unum Minutum quàm *Loca* ex observatis *Transitibus* derivata, tantoque velociora propè Æquinoctium *Autumnale*; hinc patet *maximas* Orbitæ Terrenæ *Æquationes* non procul ab istis punctis factas, nimis esse *parvas* quoad *unum* Minutum; quandoquidem Anno

 1674,

1674, ex Tychonis observatis *Differentiis* inter *Rectas* Adscensiones Solis, *Veneris* ac *Stellarum*, eas determinaveram esse ——————————————— 1° 55′ 0″.
tamen debent esse ——————————————— 1 56 0
sed accuratiùs illas mox definiam quum *Locum* Aphelii *Terreni* statuero.

Tali Processu ex Observationibus Annorum 1691 ac 1693, *Rectam* invenio Solis *Adscensionem* Tempore Meridiano, sic fore,

			°	′	″
viz. 1691. *Martii*	9no	———	359	10	42
	10mo	———	0	5	10
1693. *Septembris*	15to	———	182	46	2

Atque hinc ejus *Loca* ex Tabulis *Vetustis*. Ex *Observatione*

			°	′	″		°	′	″		′	″
1691. *Martii* 9no Meridie	♓		29	5	17	♓	29	6	14	+	0	57
10mo ———	♈		0	4	41	♈	0	5	37	+	0	56
1693. *Septembris* 15to	♎		3	1	54	♎	3	1	0	−	0	54

Ut *verus* inveniatur Aphelii Terrestris *Locus*, sequentes adhibeo Observationes factas 16to *Junii* Anno 1690, viz.

	h	′	″		°	′	″
ad	0	3	33½	*Centrum* Solis Filum Verticale pertransiit a *Vertice*	28	6	38
	0	13	11	Syrius idem Filum pertransiit	67	46	25
	7	41	37	Arcturus ———————	30	40	40
17mo *Junii*	0	3	32	Solis *Centrum* transiit ——	28	8	50
	0	9	2	Syrius ———————	67	46	25
	7	37	26½	Arcturus ———————	30	40	40

Hinc Diei *Siderei* Longitudo est ——————— 23 55 50
atque Sol transit ante *Arcturum* 16to *Junii* ad 7 38 31½
——— ac 17mo ad 7 33 54

Arcturus *Meridianum* pertransit ad duos Gradus ulterius à Vertice distantes quam *Calx* Castoris : & quoniam in eo Loco Error parùm ac tardè variat deorsùm, nullâ opus est Castigatione in *Solis* & *Arcturi* Transitibus comparandis.

Stella hæc *Rectam* suam Adscensionem mutat centum Annorum spatio tantùm quoad ——————— 1° 12′ 8″

idcirco

° ′ ″

idcircò nunc Temporis inter *Junium* & sequentem *Septembrem* tantùm ——— 0 0 10

Ita *Rectâ* ejus Adscensione 20mo *Septembris* determinatâ fore ——— 210 23 14

Medio *Junii* ejusdem Anni 1690 eam admittere possumus ——— 210 23 0

a qua si auferantur præfatæ *Differentiæ* inter *Rectas* Adscensiones Solis & *Arcturi*, restant Solis *Rectæ* Adscensiones Tempore Meridiano,

viz. 16to *Junii* 95° 52′ 30″ } sed ex *Tabulis*
17mo 96 34 40 }

atque Solis *Loca* Meridie ex *Tabulis* — ex *Observatione*

16to *Junii*	♋ 5 4 16	———	5 5 7	+	0	51
17mo	——— 6 1 27	———	6 2 24	+	0	57

quæ Solis *Loca* ex Observationibus deducta, quum sint provectiora quam sunt ejus *Loca* ex pristinis *Tabulis* solaribus computata, monstrant verum *Aphelii* Locum quoad circiter ——— 0° 0′ 35″

provectiorem esse Loco isto quem in *Tabulis* prædictis posueram

Locetur ergo hic *Aphelii* Locus ad Initium Anni in ♋ ——— 7 35 9

& ab Oculis evanescent.

Pro ulteriori hujus Confirmatione, aliam similem Observationem examinabo, *Junio* 1694 institutam

quum Die 15to ad 10^h^ 28′ 15″	ϰ in Serpentario a *Vertice* pertransiebat	41° 39′ 0″
10 45 43	Caput Herculis	36 46 0
Junii 16to ad 0 5 11	*Centrum* Solis transiebat a *Vertice*	28 9 25
7 43 23	Arcturus	30 44 40
10 24 30	*Serpentarii* ϰ	41 39 0
10 41 58	*Caput Herculis*	36 46 0

Hinc Diei *Siderei* Longitudo ex *Horologio* 23^h^ 56′ 15″

Differentia Temporum inter *Transitus* Solis & Arcturi ——— 7 38 12

Differentia

	°	′	″
Differentia *Rectæ* Adſcenſionis inter Solem & *Arcturum* ————	114	51	10
Quâ ſubtractâ de preſenti *Rectâ* Adſcenſione *Arcturi*, viz. ————	210	25	43
Reſtat *Recta* Adſcenſio *Centri* Solis, *Junii* 16to Meridie ————	95	34	33
Hinc *verus* Illius *Locus* eſt iſtâ Tempeſtate ♋	5	7	0
Qui ſecundùm *priſcas* Tabulas eſt ————	5	6	6
Minor, quidem, quàm ex *Tranſitibus* obſervatis per ————	0	0	54

Quæ Differentia tolletur, ſi addantur 35 Minuta *Loco* Terræ in *Aphelio* ſecundùm *priſcas* Tabulas; ex quo præcedens confirmatur Caſtigatio.

Hujus Methodi pro determinando *vero* Solis *Loco* peculiare Commodum in hoc conſiſtit, quòd, nempè, huic Negotio æquè benè inſervit, quando Sol verſatur propè *Colurum Solſtitialem* ac prope *Æquinoctialem*; nec ullam poſtulat Cognitionem accuratam ſive *Latitudinis* ſive *Refractionum* ſive *Parallaxeon*: Errores ex *Plano* Inſtrumenti oriundos ſolummodò notos eſſe oportet, tantâ quidem Ἀκρίβεια quantâ fieri poſſit, qui ſanè majori Certitudine definiri queunt quam *Parallaxes* vel *Refractiones*.

Errores inveniens *Plani* decreſcentes à 28 ad uſque 60 Gradus ſuper *Limbo*, exiſtimare proclivis eram, Eos progredi decreſcendo ad uſque *Horizontem*: ſed Examine inſtituto per Stellas in ♏, Rem aliter ſe habere deprehendi

Ut certior fierem, Experimenta cepi.

Ex Syrio ad Grad. 67. & ex *Corde* Hydræ ad Grad. 59. a *Vert.* atque utrâque Stellâ eundem detexi Errorem viz.	0°	0′	23″.
pro *Rectâ* Syrii Adſcenſione ſtatuendâ, 14to *Martii* 1690, tantùm adhibui ————	0	0	19½
adeo ut Syrii Adſcenſio *Recta* pro eo Tempore erit	97	53	10
Errores oriundi ex Stellis ♏ collatis cum *Spica* Virginis, atque ex ſtellis Canis *Majoris* cum *Corde* Hydræ comparatis, ad 75 Gradus a Vertice, videntur eſſe quamproximè ————	0	0	22

idem nempè Error qui in *Syrio* reperitur ad 67 Gradus a Vertice

Etiamſi

	°	′	″
Etiamsi ad 80 Gradus a Vertice, Error deprehendatur minor quam in *Syrio* per	0	0	6
& ad 85 Gradus a Vertice, minor est Error quàm in *Syrio* per	0	0	8
Idcirco ad 75 Gradus a Vertice (ubi *Centrum* SOLIS pertransit quando in *Australi* TROPICO versatur) Error exsurgit ad	0	0	21
vel ad summum ad	0	0	22

	h	′	″		h	′	″
Et quando SYRIUS pertransiebat Filum Verticale in *Telescopio* 16to *Decembris* 1689 ad	12	3	58	*Meridianum* pertransit ad	12	4	21
at eodem die, SOL	23	58	56		23	59	17
ergò *Differentiæ* inter Culminationes SOLIS & SYRII					11	54	56
Diei *Siderei* Longitudo ex Transitibus *Australis oculi* TAURI observatis 16to ac 17mo ejusdem *Decembris*, erat secundùm *Horologium*					23	55	38

	°	′	″
Differentia igitur inter *Rectas* Adscensiones SOLIS & SYRII erit	179	16	30
& *Rectâ* SYRII Adscensione jam existente	97	52	48
Recta SOLIS Adscensio, 17mo *Decembris* Tempore Meridiano erit	277	9	18
& consequenter *verus* ejus *Locus* in ♑	6	34	4
at pristinæ meæ *Tabulæ Solares* eum *Locum* Tunc temporis exhibent in ♑	6	35	27
id est, Vero promotiorem per	0	1	23
Qui Error tolletur si a *Motu Medio* subducantur	0	0	20
& si *Aphelio* addantur (prout antea determinatum est) nempè	0	35	0

paginâ 16ta horum Prolegomenων *Lineâ* 14ta.

Ptolemæus *enim a Tempore quo* Hipparchus *ſuas finivit Obſervationes ad* Antonini *Imperium* (*cujus Imperio ineunte ſuas fecit ipſe* Ptolemæus) *Annos computat* 265. Quum verò Ptolemæus ſuas fecerit Obſervationes circa Annum Chriſti 140, Hipparchus ſuas finivit Anno ante Chriſtum ——— 125
Cui ſi addantur Anni —— 1694

Annorum ſumma eſt —— 1819

At ibidem *Lineâ primâ*, patet Hipparchum *notaſſe primum ſuum Æquinoctium Autumnale Anno ante Æram Chriſtianam* 168
Cui ſi addantur Anni —— 1694

tunc Annorum ſumma eſt 1862

Ptolemæus verum *Aphelii* Locum ſtatuit in ♊ 5° 30′ 0″ ſecundùm (ut opinor) Hipparchi Determinationem peractam (ut conjectare licet) circiter Annum ante *Æram Chriſtianam* 140
Cui ſi addatur Annus a *Chriſto nato*, viz. ——— 1694

patet, hac Computatione, ſpatio Annorum ——— 1834
Locum Aphelii fuiſſe antrorſùm promotum quoad ——— 32° 5′ 42″
ejuſque *Motum*, unius Anni Intervallo, invenietur fore 0 1 3
quâ Quantitate aſſumptâ utor Ego.

Poſteri, fortaſſis, proprias ſuas Obſervationes cum *Tychonicis noſtriſque* conferendo, *Illum* accuratiùs determinabunt. Interim tamen ſum ad opinandum propenſus Illius *Motum* eſſe tardiorem ; atque ſi *Aphelii* Locus ſub Stellis Fixis ponatur (prout Dominus *Street* illum ſtabilit in *Aſtronomia* ſua *Carolina*) antiqua Æquinoctia ab *Hipparcho* notata meliùs repreſentabuntur, quàm ſupponendo eum Locum ſub Illis in *Conſequentia* moveri ; ſicut cum *Aſtronomis* præteriti ac præſentis Ævi Ego quidem ſum arbitratus.

Nec Albatanii nec Azzacheli Obſervationes adhuc in noſtras pervenêre manus, qui ambo *Orbitæ* Terrenæ Excentricitatem determinarûnt (ſicut & *Zodiaci* maximam *Obliquitatem* invenerunt, ut videre eſt horum Prolegomenων Pag. 27 & 28.) ſed nihil hujus Generis nobis extat antiquius Obſervationibus Bernardi Walteri apud *Noribergam* 200 abhinc Annos peractis; e quibus XXIV tranſcripſi, & cum propriis meis *Tabulis* contuli ; ut cernerem quàm probè cum iis congruerent, & ut exindè mihi ſatisfieret, quouſque queam inniti Iſtis quæ 1800 *Annis* peractæ ſunt ante *Recentiorum* Obſervationes.

Latitudinem *Domicilii* Bernardi Walteri, Refractionibus meis correctam, deduxi ex propriis Ipſius Obſervationibus *Solſtitialibus* (viz. 49° 25′ 50″) tum etiam ex Meridionalibus *Centri* Solis *a Vertice* Diſtantiis, ejus Declinationibus Lociſque in *Ecliptica*, cum Illius *Locis* quæ a *Tabulis* meis derivantur ſuper Obſervationum *Meridianis*, prout *in Libro de* Sole, paginâ 189, patet.

Maximæ

Maxima Differentiæ inter *Loca* obſervata & computata contingunt propè *Æquinoctium Vernum*, quando Error eſt, viz.
Anno 1478 *Martii* 12mo ——————— $-6' \; 14''$
1491 *Martii* 13^{tio} ——————— $+\;6\;\;8$
atque exinde concludi poſſit *medios* TERRÆ *Motus* rectè ſtatui, ac Errorem conſiſtere tantùm in Obſervationibus *Regulâ* ſuâ *Parallacticâ* factis.
Denuò in *Autumnalibus* Obſervationibus Error deprehenditur, viz.
Anno 1478 *Septembris* 12mo ——————— $+\;0\;\;3\;\;52$
1479 eodem Menſis Die ——————— $-\;0\;\;4\;\;39$
atque hinc eadem deducetur Concluſio, *Motus* nempè *medios* inter *Walteri* noſtramque Ætatem probè eſſe determinatos, id eſt, pro ſpatio *ducentorum* Annorum; totidem enim Annis *Illius* Obſervationes *meas* antecedunt.

In cæteris autem Obſervationibus, Differentiæ *Locorum* SOLIS ab *iis* deductæ & ex *Tabulis* computatæ, raro aberrant *tribus* Minutis, aliquando in *Exceſſu*, aliquando in *Defectu*; interdum intra Minutum congruunt: ideoque eadem Concluſio ex iis Obſervationibus inferri poteſt.

Sed ſi concedamus *Motum medium* inter *Nos* & *Bernardum Walterum* excedere vel deficere quoad *duo* Minuta; exinde ſequetur quòd *Annis* 1819 ſive 1834 inter *Nos* & *Hipparchum* interlapſis, Error vix adſurgeret ad uſque 20 integra Minuta, intra quam Quantitatem *Hipparchi* Obſervationes ſibi invicem vix congruunt; nec equidem quidquam aliud nos expectare oportet: *Ptolemæo* enim referente, *Hipparchus* ſuorum Æquinoctiorum certus fuit tantùm quoad $\frac{1}{4}$ Diei.

Quid hac de Re a PTOLEMÆO ſit expectandum, antea oſtendi.

Nullæ ARABUM Obſervationes (exceptis iſtis *Albatanii*) ad nos adhuc emanarunt; quum verò *Albatanii* Obſervationes ſint 800 ante nos *Annis* peractæ, & quum antea monſtraverim illas æquè cum noſtris Tabulis convenire, & cum iſtis *Bernardi Walteri*, vereri non oportet, quin *Loca* SOLIS ab *Albatanii* Obſervationibus derivata cœleſtibus congruant *Phænominis* intra $\frac{1}{10}$ Gradûs ſive 6 Minuta: Nihilominus differre deprehenduntur a *Locis* SOLIS *Ptolemaicis* ad eadem Tempora computatis, quoad Gradum integrum aut ultrà; atque hujus Rei

Rei Rationem facilè præbent, quæ ex Ipsius operibus de Ipso suprà narrantur.

TERRÆ *Motibus mediis* sic stabilitis, unà cum *Loco Aphelii Terrestris*, determinatum procedo *Rectas Fixarum Adscensiones* quæ observabantur *Anno* 1690 *Martii* 7mo 13tio, 14to ac 15to.
& quæ Noctibus subsequentibus, viz. — 14to, 15to ac 16to.
& eodem Anno *Septembris* ——— 20mo
atque Anno 1691 *Martii* ——— 9no ac 10mo
ac Anno 1693 *Septembris* ——— 15to.

Hæc scripta fuere ♀ 9no *Novembris* Anno 1716.

Processum autem non repetam; Nimium enim Temporis tantilli insumeret quod mihi tam provectæ Ætatis vivendum superest: solùm hic tradam *meorum* Laborum *Exitum*, idest *Rectas Stellarum Adscensiones* a diversorum ac singulorum Dierum observationibus deductas; atque Modum, quo Eas correxi, Lectorem docebo.

RECTA ADSCENSIO.

			°	′	″
Anno 1690 *Martii* 7mo	Calcis *Castoris*	———	91	2	53
	Procyonis	———	110	45	33
	Pollucis	———	111	34	3
	Cordis *Leonis*	———	147	57	48
13tio	Oculi *Tauri*	———	64	32	20
	Procyonis	———	110	45	48
	Pollucis	———	111	33	48
	Virginis η	———	181	1	53
	γ	———	186	31	8
14to	*Capellæ*	———	73	23	48
	Orionis *p*	———	74	55	18
	Cornu *Tauri* Borealis	———	76	40	3
	Geminorum μ	———	91	3	23
	Syrii	———	97	52	18
	Canis Minoris *p*	———	107	34	33
	Procyonis α	———	110	45	53
	Pollucis	———	111	34	3
	Cordis *Leonis*	———	147	57	33
	γ	———	150	42	53
	p	———	173	19	23
	Virginis γ	———	186	30	43

Martii

RECTA ADSCENSIO.

		°	′	″
Anno 1690 *Martii* 15to	*Leonis* η	147	35	18
	α	147	57	48
Septembris 14to Meridie	SOLIS	181	37	45
	Orionis σ	80	47	45
	ζ	81	16	45
	α	84	34	45
	Canis Majoris α	97	51	25
	Geminorum α	110	44	55
	β	111	32	35
15to Meridie	SOLIS	182	31	53
	in *Vulture* d	286	9	3
	δ	287	27	3
		290	9	13
	α	293	53	59
	η	294	10	43
	Aquarii β	318	47	3
	Piscium ζ	14	23	3
	Comes	14	39	23
	f	15	27	23
	Orionis β	74	55	8
	γ	77	7	58
		79	3	13
		80	48	33
	α	84	55	50
	Geminorum μ	91	5	33
	Canis Minoris α	110	45	38
	Geminorum β	111	33	33
16to Meridie,	SOLIS *Adscensio Recta* ex Observatione *Diei* præcedentis deducta	183	26	4
	Rostri *Cygni*	289	32	22
	in *Vulture* ι	290	10	29
	α	293	54	24
	η	294	10	20
	θ	298	49	0
	Piscium β	342	1	47
	A	343	12	19

		°	′	″
16to *Piſcium* γ		345	16	44
κ		347	46	4

Differentia *Rectarum* Solis *Adſcenſionum* inter 15tum & 20um *Septembris*, ſecundum *Tabulas* meas *Solares*, eſt	4	31	23
Quæ addita *Rectæ* Solis *Adſcenſioni* hactenus determinatæ, pro 15to *Septembris*, Tempore Meridiano, viz.	182	31	53
Rectam Illius *Adſcenſionem* conſtituit 20mo *Septembris* Meridie, viz.	187	3	16

Hinc ex Obſervatione *Noctis* proximo-ſequentis *Sept.* 20.

ADSCENSIO RECTA.

Arcturi		210	23	14
Roſtri *Cygni*		289	33	0
in *Vulture*	α	293	54	39
	η	294	10	49
	θ	298	49	24
Aquarii	β	318	48	54
	α	327	28	44
Piſcium	β	342	2	4
	γ	345	17	39
	κ	347	46	54
	λ	331	34	44

Omnes hæ *Adſcenſiones Rectæ* quum deriventur ex Obſervationibus ad *bina* Æquinoctia Anni 1690 factis, poſt debitas Caſtigationes exactè ad *Solſtitium Intermedium* admitti poſſunt.

Ex Obſervationibus ad *Æquinoctium Vernum* inſtitutis STELLARUM ſequentium ADSCENSIONES RECTÆ ſunt determinatæ

ADSCENSIO RECTA.

Anno 1691 *Martii* 9no *Procyonis*	110°	46′	40″
Pollucis	111	35	25
Cordis *Hydræ*	138	6	50
Cordis *Leonis*	147	58	55

Anno

ADSCENSIO RECTA.

			°	′	″
Anno 1691 *Martii* 10mo	Calcis *Castoris*		94	58	55
	Procyonis		110	47	5
	Pollucis		111	35	45
	Cordis *Leonis*		147	58	55
	Virginis	β	173	40	0
		γ	186	31	30
Anno 1693 ad Æqui- noctium *Autumnale* *Sept.* 15to	in *Vulture*	β	292	54	45
		α	293	56	25
		γ	295	3	10
		θ	298	51	30
	Pegasi Os	ε	322	16	45
		α	342	8	10

TYCHO BRAHE *duodecim* Observationum Paria confert, respectu Distantiarum SOLIS a *Venere* interdiu, & a *Stellis* noctu; eo Consilio ut *Rectam* Adscensionem Stellæ *Lucidæ* in *Ariete* determinaret; quibus aliquando suas invenit Determinationes quoad 16 Minuta *majores* aut *minores* quàm aliàs: quandoquidem in mea Disquisitione, Loca definivi *Fixarum* 40, atque istorum Locorum haud pauca ex Diversorum Dierum Determinationibus, nullâ habita Ratione ad *Observatorii* Latitudinem, ad *Refractiones* vel *Parallaxes*; adeo ut *unius* Minuti Differentia rarò accidat in hisce diversorum dierum Determinationibus.

In suis *Progymnasmatis.* a Pagina 157 ad Pag. 193

Atque hoc quidem faciendi Facultatem nactus sum, ope *Horologii oscillatorii* & *Arcûs Muralis* accurati; nam absque exactâ Temporis Mensurâ (quam Horologium *oscillatorium* Nobis præbet) ac sine Artificioso *Arcûs Plano*, impossibile fuisset, quâvis Machinatione, determinare Differentias inter Stellarum *Rectas* Adscensiones ad eam usque Ἀκρίβειαν quam hisce Instrumentis lucrati sumus.

Rectis hisce Adscensionibus ita definitis, harum singularum Stellarum *Distantiæ* a POLO *Mundi* facilè erant peractæ, nimirum *Complemento* Latitudinis addendo *observatam* uniuscujusque *Stellæ* a Zenith *Distantiam*, ab Instrumenti *Erroribus* & *Refractionibus* correctam, atque ad Initium *Anni* 1690 reductam: Illarum a POLO *Distantias* hìc non tradidi, quoniam in

in *Catalogo* continentur, Loco quidem hisce magis idoneo, ex quo facillimè transcribi possunt.

Ab *Ecliptica* CONSTELLATIONIBUS sum auspicatus, quæ *primæ* in Conspectum nostrum venere post SOLIS Occasum, Mensibus *Octobris* ac *Novembris* 1689. Hæ suère *Aquarii* Partes remotiores, atque *Pisces*, *Serpentarius*, *Cetus* & *Pegasus*; & quum omnes Constellationes *Eclipticales* semel perlustrassem, singulas captavi Occasiones semet offerentes, ad promovendas meas Observationes in Constellationibus *Australibus*, potiùs quàm in *Borealibus*; quoniam *illas* magis incommodas deprehendi: Infirmitates enim, quæ Senectutem concomitantur, mihi obrepentes, sentire incipiebam; *Cœlumque* superiùs frequenter erat *serenum*, quum ad *Austrum* caliginosum esset ac nebulosum: quamobrem, post ECLIPTICALES, proximò absolutæ sunt *Constellationes* AUSTRALES, ac immediatè post illas in meo locantur *Catalogo*; BOREALES autem, quæ novissimè sunt observatæ, ultimo Loco ponuntur.

Atque sicut in *Ecliptica*, ita in *Australium* & *Borealium* Constellationum Classibus, He primæ locantur quarum *Rectæ* Adscensiones minimæ sunt; Idemque Ordo in unaquaque *Constellatione* servatur: in quem ordinem Me induxit mea observandi Methodus, eumque maximè Naturalem, & congruum esse Quivis percipiet.

Quotidianas *Stellarum* in singulis Constellationibus *Observationes*, in speciali *Libro* huic Rei destinato, collegi; illasque *Sextante* factas sub ejusdem *Nomine*, eodemque *Ordine* quo sunt peractæ: in quo *Libro* earum a POLO visibili *Distantias* definivi, *Rectasque* Earum Adscensiones ab iis derivatas: ac postea in *alium* Librum digessi *Polares* Distantias præfatas, *Rectasque* Adscensiones sic definitas ab Observationibus quotidianis huic *Libro* inserui in *Synopses*; ubi Omnes simul Conspectui patebant: atque sic *plurimarum* Stellarum *Rectas* Adscensiones & a POLO *Distantias* iterum sæpiusque determinatas lucratus sum, & inter eas deprehendi quasdam minutas Differentias. Ut autem hasce Differentias castigandas curarem.

Ex intermutualibus *Fixarum* Distantiis, *Sextante* antehac observatis, & hactenùs impressis, cum Earum a *Polo* Distantiis, Calculum *Differentiarum* institui ipse inter Earum Rectas *Adscensiones*; & ne aliquod obreperet Erratum, effeci ut

Famuli

Famuli mei *Computationes* ſemper repeterent: atque ſic Opere meo proprio vel ita caſtigato vel ſtabilito, *veriſque* Stellarum Rectis *Adſcenſionibus* determinatis, operis Exitum *Synopſibus* meis inſerui; & ita primo videbam Intuitu, quales erant ſecundùm *Tranſitus* Arcu *Murali* ſingulis quibuſdam diebus ſucceſſivè notatos, aut quales etiam erant ex *Diſtantiis* Sextante *obſervatis.*

Ex *Synopſibus* hiſce, primi *Catalogi* minores deducuntur, qui inter mea reperientur Scripta; ubi *Fixarum* Rectæ *Adſcenſiones*, reſpectu Temporis, in *primâ* conſiſtunt Columna; *Altera* Illarum Diſtantias a *Zenith* monſtrat, et Earum *Magnitudines* in ultimâ ponuntur.

Tandem Stellarum in *Eclipticalibus* & adjacentibus *Conſtellationibus* principalium *Rectis* Adſcenſionibus ac *Diſtantiis* determinatis; *Anno* illo exeunte, Conſiderationi incubui de Modis commodiſſimis & expeditiſſimis pro derivandis Earum *Longitudinibus*, & *Latitudinibus*, a *Rectis*, nempè Earum Adſcenſionibus ac *Diſtantiis* a Polo. Methodus vulgaris moleſta nimis & perplexa mihi viſa eſt; at Animi Intentione modicâ, ſequentem adinveni, quæ expeditior erat & Erroribus minùs obnoxia.

Figura prima in Secundi Voluminis Appendice folio 17[mo] repreſentet *Stereographicam* Spheræ *Projectionem* ſuper Plano *Eclipticæ*, e ejuſdem *Polum*, ♈ ♋ ♎ ♑ ipſam *Eclipticam*, ♑ e ♋ Colurum *Solſtit.* & ♈ e ♎ Colurum *Æquinoctialem.* Sit P. Globi Polus Arcticus, *æ* ♈ *q* ♎ *æ* Æquator, Sitque S Locus Stellæ *Auſtralem*, ſicut σ Locus Stellæ *Borealem* Latitudinem habentis, in eodem *Circulo* Rectæ *Adſcenſionis*, in ejus duntaxat *primo* Quadrante.

Ducatur Circulus R*ectæ* Adſcenſionis P σ S, per ſtellam tranſiens S, vel σ, & *Eclipticam* ſecans in Puncto L. Tunc a Polo *Eclipticæ* e ad *Loca* Stellarum in σ & S, ducantur R*ectæ* e σ, & e S quarum una ſecat *Eclipticam* in π, Altera in p.

Jam verò inter *Æquatorem* ♈ r, *Eclipticam* ♈ L & R*ectæ* Adſcenſionis *Circulum* P s, Triangulum *Sphæricum* ♈ L r Rectangulum ad r formatur; in quo dantur Angulus L ♈ r, *Eclipticæ* Obliquitas, & Baſis ♈ r, R*ecta* Stellæ Adſcenſio, cum Angulo Recto ad ♈.

 Ut

Ut inveniatur ♈ L, primò Arcus *Ecliptica* interceptus inter primum punctum *Arietis* & Stellæ Circulum Rectæ Adſcenſionis, quem appello *Longitudinem Competentem:* 2do Angulus ♈ L r, *Ecliptica* Angulus & Stellæ *Meridianum.* 3tio L r *Diſtantia* Longitudinis *Competentis* a Mundi Polo, quæ facilibus hiſce proportionibus obtineri poterunt.

1. Ut *Co-ſinus* Obliquitatis *Ecliptica* ♈ L r,
Ad *Radium,*
Ita *Tangens* Rectæ *Adſcenſionis* Stellæ ab *Æquinoctiali* Coluro numeratæ ♈ r,
Ad *Tangentem* Longitudinis *Competentis* ab eodem *Coluro* computatæ L ♈.

2. Ut *Radius,*
Ad *Sinum* Obliquitatis *Ecliptica* L ♈ r,
Ita *Co-ſinus* Rectæ *Adſcenſionis* Stellæ ab *Æquinoctiali* Coluro numeratæ ♈ r,
Ad *Co-ſinum* Anguli *Ecliptica* ac *Meridiani* ♈ L r.

3. Ut *Radius,*
Ad *Tangentem* Obliquitatis ♈ L r,
Ita Sinus Rectæ Adſcenſionis Stellæ ab *Æquinoctiali* Coluro computatæ ♈ r,
Ad *Tangentem* Declinationis *Competentis Longitudinis* Stellæ L r.

Quæ ſi cadat in primum Semicirculum *Ecliptica*, ſive inter ♈, & ♎, ejus Complementum ad 90 Gradus erit æquale P L, nempè *Diſtantia* dicti puncti *Competentis* Longitudinis a Globi Polo *boreali:* at ſi *competens* Longitudo in alterum *Ecliptica* Semicirculum cadat, ſive inter ♎ & ♈; tunc 90 Gradus, *Arcui* præfato ſive *Declinationi* L r additi, veram efficiunt Diſtantiam PL dicti *Puncti* a Polo *Boreali.*

Et PS–PL=LS, & PL–Pσ=Lσ, Meridiani *Arcui* inter Stellam, & Eclipticam *intercepto.*

Si autem *Diſtantia* Stellæ a *Polo* P S, major ſit Diſtantiâ *Competentis Puncti* ab Illo L, ſive P L, tunc *Auſtralis* erit & *interceptus Arcus* P S, & Stellæ quoque Latitudo.

Sed

Sed si Stellæ a *Polo* Distantia (sicut P σ) minor sit *Distantiâ* puncti Longitudinis *competentis* L a *Polo* P, tunc *Borealis* erit *Arcus intersectus*, & consequenter Stellæ *Latitudo*.

Supponamus *duas* Rectas Lineas e σ, & e S repreſentantes *duos* Longitudinis *Circulos* per *duo* Stellæ Loca transeuntes ad σ in Declinatione *Boreali*, usque ad S *Australe* deduci; tunc enim *duo* alia Triangula *Spherica* nobis sunt formata, viz. L S p, & L $\pi\sigma$ *Rectangula* ad p & π, in quibus dantur,

1mo Angulus *Eclipticæ* ac *Meridiani* p L S = π L σ.

2do *Arcus interceptus* L S, vel L σ; ut inveniantur p S, vel π S Stellæ ab *Ecliptica* Latitudo, atque L p, vel L π, Longitudinis nempè *Prosthaphæresis*, quæ his proportionibus indagantur, viz.

Ut RADIUS,
Ad SINUM *Anguli* quem Meridianum facit cum *Ecliptica* p l s vel π L σ,
Ita SINUS Arcûs *Intercepti* L s vel L σ,
Ad SINUM *Longitudinis* Stellæ p s vel $\pi\sigma$.

& rursùs Ut RADIUS,
Ad CO-SINUM Anguli *Meridiani* & *Eclipticæ*,
Ita *Tangens* Arcûs *Intercepti*,
Ad *Tangentem* Prosthaphæreseos *Longitudinis*.

Atque hìc notandum, quòd, 1mo Quando *Adscensio Recta* major est Gradibus 270, vel minor Gradibus 90 & *Arcus* interceptus { ad *Boream* / ad *Austrum* } Prosthaphæreseos { *additus* / *subtractus* } Competenti *Longitudini*, veram efficit STELLÆ *Longitudinem*. Sed

2do Si *Adscensio Recta* major sit Gradibus 90 & minor Gradibus 270, & Arcus interceptus { ad *Boream* / ad *Austrum* } Prosthaphæreseos { *subtractus* / *additus* } a Competente *Longitudine*, veram tradit Stellæ *Longitudinem*: cujus Rei Ratio ex FIGURA liquebit.

Porrò notandum, quòd quum Arcus *interceptus* major sit Gradibus 90, tunc Prosthaphæresis etiam Gradus 90 superabit.

Ope *trium primarum* Proportionum harum construi possunt *Tabulæ* ad *tria* hæc Requisita monstranda, id est,

1. Angulos

1. Angulos *Eclipticæ* ac *Meridiani*.

2. Diſtantiam *Puncti* Longitudinis *Competentis* a Globi Polo *Boreali*.

3. Iſpam *Competentem* Longitudinem congruentem ſingulis Gradibus (vel 10 Minutis) *Rectæ Adſcenſionis*, prout uſque ad *Secunda*, notantur in *Tabulis ſubſidiariis*, e quibus excerpi queunt vel Inſpectione ſolâ, vel facili proportionalitatis Praxi; ſi opus ſit.

Anno 1695 quum meas abſolviſſem Tabulas *ſubſidiarias*, omnia hæc Requiſita præbentes, atque deprehendiſſem ſufficientem mihi eſſe Obſervationum Copiam, pro rectificandis *Locis* plerarumque Stellarum in Conſtellationibus *Eclipticalibus*, Tabulas haſce tranſcribendas curavi; Eaſque unà cum *Rectis* Adſcenſionibus & a Polo *Diſtantiis*, Stellarum, duntaxat, ad *duas* vel *tres* Conſtellationes pertinentium, miſi ad Dominum *Lucam Leigh*, tunc apud villam *Bakewell* in agro *Derbienſi* degentem, 120 Millia Paſſuum *Anglicanorum* ab Observatorio meo diſtantem; ut ab iis derivaret *veras* Earum Longitudines & Latitudines, quum Illum ad hoc præſtandum conduxiſſem.

Mihi autem certò conſtabat, quòd ubi tot, tàmque longæ Computationes erant peragendæ, quamvìs, hâc Methodo, multum Incertitudinis & periculi Erroris, ſive Hallucinationis, adimiſſem; Nullius tamen Operationi ſingulari innitendum duxi: quamobrem hoc munus injunxi Domino *Jacobo Hodgſono* tunc temporis uno ex meis Domeſticis (nunc verò in Illuſtri *Scholâ Hoſpitii* Ædis Christi apud Londinenses *Matheſeos Profeſſore* digniſſimo) ut, ſcilicet, Stellarum earundem Loca eâdem Tempeſtate hìc mecum recomputaret.

Et poſtquam a Domino *Leigh* operationem ſuam peractam accepi, illam cum Domini *Hodgſoni* Operatione conferendo, ex Earum Congruentiâ facilè perſpectum eſt, *Quænam Computationes erant Veræ*, ſicut ex Earum Diſcrepantiâ *Quænam erant Erroneæ*; eaſque Operationes repetendas ac emendandas curavi.

Abſque hâc Cautelà, plurimos Errores evitaſſe, fuiſſet impoſſibile; hâc, autem, Certitudinem optatam ſum aſſequutus; nam fieri omninò nequivit, ut duo homines, 120 Milliarium Intervallo diſtantes, ad me deludendum ſimul concurrerent.

Interea

Interea dum Dominus *Leigh* FIXARUM Longitudines & Latitudines computabat ex *Rectis* Earum Adſcenſionibus ac *Diſtantiis* a POLO, *Tabulas* computandas curavi, quæ *veras* monſtrabant Longitudines & Latitudines, ſingulis congruentes Gradibus *Rectæ* Adſcenſionis & unicuique Gradui *Arcûs Quarti* ab *Uno* ad *Decem*; quæ neceſſariæ erant pro definiendis *veris* Longitudinibus & Latitudinibus LUNÆ ac cæterorum *Planetarum* ex Obſervationibus, Noctu vel Interdiu, *Arcu Murali* peractis: in quo peragendo utebar exiguo *Locorum* Fixarum *Catalogo*, ex iſtiuſmodi obſervatis Diſtantiis deducto, quales meo *Sextante* aſſequutus eram, & Initio Anni 1686 adaptabantur.

Præter haſce Tabulas *ſubſidiarias*, eodem Tempore *aliæ* ſunt Computatæ quæ monſtrabant *Rectas* Adſcenſiones ac Declinationes, ad ſingulos Longitudinis Gradus, & unumquemque Gradum Latitudinis *Quintum* ab *Ecliptica*, tam verſùs *Boream* quàm *Auſtrum*: quarum *Differentiæ* indicabant *Rectarum* Adſcenſionum ac Declinationum *Variationes*; dum Stellarum Longitudines quoad *unum* Gradum creſcebant, nempè, a Latitudinis 0° ad 60° Gradus tam ad *Boream* quàm ad *Auſtrum*: ſtatuam igitur ut ſimul cum iis imprimantur, ut Illi quibus erit Facultas, ſive Anſa, utendi *Catalogo*, vel conſtruendi *Rectas* Adſcenſiones pro Temporibus *futuris*, Variationes ab iis derivent. Dominus *Sharp* per ſingulos 5 Gradus Eas extendit, uſque ad Gradus 90; atque ex iis, ſuâ Methodo *Interpolationis*, eas compoſuit ad unumquemque Gradum *Rectæ* Adſcenſionis ac Declinationis, quæ unà cum meo *Catalogo* imprimentur; quæque *Rectis* Earum Adſcenſionibus ac Declinationibus inveniendis etiam inſerviunt, ex *datis*, nimirum, Stellarum Longitudinibus & Latitudinibus.

Iſtarum Tabularum *uſum* confiteor eſſe moleſtum, non magis tamen quàm *aliarum* ejuſdem generis. *Alio* etiam *Medio* uſus ſum pro iis inveniendis tam benè cum hiſce Tabulis congruente, ut *Differentias* raró 10″ excedere deprehenderim; quod pro unius *Centuriæ* ſpatio ſat enucleatè computatum eſt. Quibus autem eſt Animus ad ſummam progredi Ἀκρίβειαν, uti poterint iis quæ, unà cum Tabulis meis *ſubſidiariis*, Typis mandabuntur.

Stellas autem quod attinet quæ Globi *Polis* & *Eclipticæ* interjacent, optimum erit Earum *Rectas* Adſcenſiones ac

Declinationes computare ex Longitudinibus pro *Futuro* institutis; quarum *Rectæ* Adscensiones retardantur sive decrescunt, dum interea crescunt perpetuò Earum *Longitudines*: atque hoc peregi in plurimis Stellis DRACONIS & URSÆ *Minoris*, in Catalogo, ubi hoc notantur signo —. Quoniam verò *Stella Polaris* Distantiam suam inæqualiter mutat, *Rectam* Illius Adscensionem ac Distantias a *Polo* computavi ad Alterationem quorumlibet 10 *Minutorum* Longitudinis, pro *primo* Gradu; atque Dominus *Sharpius* pro *secundo*. Easque deprehendo sicut in ejus *Tabula* inseruntur ad Finem horum *Prolegomenωn*.

Dum *Tabulæ* componebantur pro faciliori Calculo *Locorum* quæ a *Fixis* tenentur, harum Observationes promovebantur, nullâ Occasione omissâ, quamdiu sanitas ac alia negotia necessaria me patiebantur.

Constellationum interim *Tabulas* sive *Mappas* formare aggressus sum etiam, in quibus totaliter a *Bayero* discedere necessarium mihi visum est, de quo *Hevelius* conqueritur, *quod Omnia turbaverat*, quanquam nihil sigillatim de Illo memorat.

Nullus Auctor probatus mihi occurrit Nobis indicans, quisnam primus CONSTELLATIONES in has *Formas* redegerit in quas disponuntur in *Ptolemæi* Catalogis; sed ex iis quæ nobis narrat *septimi* Libri ALMAGESTI Capite *Quinto*, *de Constellationibus in Sphæra solida fabricandis*, facile elucescit, istas Constellationum *Imagines* sive *Formas* HIPPARCHI Temporibus fuisse Antiquiores sed paululum immutatas: dicit enim PTOLEMÆUS *Formationibus quoque ipsis per singulas Stellas non eisdem penitùs (quibus & prisci) utimur, sicut neque Illi Antiquissimorum, qui ante Ipsos fuerunt, Formationibus usi sunt: multis ergo in Locis, accommodatiora ipsis Figuris attribuentes vocabula, Priscorum usum immutavimus sicut, verbi gratiâ, Figuras quas Hipparchus in Humeris Virginis locat, Nos in Costis ejus sitas esse dicimus; quoniam Distantia Earum ad Stellas, quæ in Capite sunt, major apparet quàm ad Eas quæ in Extremitatibus Manuum collocantur; hoc autem sicut Costis accommodatur, ita penitus alienum ab Humeris est: facile tamen per ipsam conscriptorum Locorum Comparationem diversæ hujusmodi Stellarum Signationes intelligi possunt.*

Ex Interpretatione Georgii Trapezuntii.

Insuper

Insuper Nobis refert CHALDÆORUM Observationes peractas fuisse Anno κατα χαλδίυς ———————— 82do
Anno *Nabonassari* ———————— 519no
sive Anno ante *Æram* Christianum ———————— 228
ubi memorantur *Stellæ* in *Australi* VIRGINIS *Humero*, sive Stellæ maximè *Boreales* in SCORPIONIS *Fronte*, in Appulsu ♂ ad illam Stellam; qui *Appulsus* observabatur
Anno *Nabonassari* ———————— 476
sive ante *Æram* Christianum ———— 271
interim paulò Antiquiores erant TIMOCHARIS & *Aristillus*, utpote Annis circiter 300 ante *Christum* florentes; quibus Temporibus, manifestò liquet ab Exemplis a *Ptolemæo* allatis, *Figuras* sive Mappas *Constellationum* Veteribus Philosophis adfuisse, unà cum Stellarum *Locis* ibidem designatis.

pag. 17. horum *Proleg.* Linea 13. Quosdam *Lunæ* ad Stellas *fixas* Appulsus *Timacharis* atque *Aristillus* notarunt, Annum circiter ante *Æram Christianam* 295 Annumque Mundi 3709 & postea Anno 283 Mundique Anno 3721

Aratus Poeta de Astrorum *Ortu* & *Occasu* scripsit circiter *Olympiadem* ———————— 125
ante *Æram* Christianam ———————— 276
si non contemporaneus, paulò saltem recentior erat *Timocharide* ac *Aristillo*, & certè *Chaldæis* Appulsuum Observatoribus antiquior: cujus *Poema* testatur tunc Temporis Constellationum *Figuras* GRÆCIS etiam fuisse; sed a Quibus Eas derivarunt, aut quomodo eas consequuti sunt, mihi adhuc incompertum est.

Ex loco *Plolemæi* supra citato patet, quod per Eos seipso *Antiquiores* intellexerit HIPPARCHUM ejusque sequaces, & per eos *Chaldæis* & *Græcis* Astronomis *antiquiores* intellexerit illos *Veteres* qui *Planetarum* ad FIXAS *Appulsus* priùs observaverant; quorum Appulsuum ille maxime *borealis*, in observationum Transcripto memoratur in *Fronte* τȣ ♏ Anno *Nabonassari* ———————— 476
sive ante *Æram* Christianam ———— 271
in quo Transcripto memorantur etiam *Stellæ* in VIRGINIS *Humero* maxime *Australi*, Anno *Nabonas:* ———— 519
sive *Æra* Christianæ ———— 228
Timocharis autem & *Aristillus*, quorum Observationes a *Ptolemæo* nobis quoque traducuntur, plurium *Asterismorum* Stellas memorant; & exinde liquet, Illos formasse Asterismorum *Imagines* sive Figuras suâ Ætate, annos circiter *Trecentos* ante

Æram

Æram Chriſtianam: *Ptolemæus* enim non altiùs nobis Lucem præbet.

A *Ptolemæi* Diebus ad noſtra uſque Tempora, Aſteriſmorum *Nomina* quibus utitur *Ptolemæus*, à ſolertibus & eruditis omnium Gentium Viris ſemper ſunt uſurpata: etiam *Arabes* ſemper uſi ſunt ejus *Formis* & Conſtellationum *Nominibus*. Latini *Fixarum* Catalogi antiqui eadem adhibent Nomina: in Copernici *Catalogo* (primo quidem quem habemus Latino ſermone ornatè ſcriptum) & in Illo Tychonis eadem uſurpantur; ſicut etiam in Catalogis, *Linguâ*, duntaxat, Germanicâ, Italicâ, Hiſpanicâ, Luſitanicâ, Gallicâ, & Anglicâ conſcriptis: atque in omnibus tam Veterum quàm Recentiorum Obſervationibus, *Ptolemaicæ* Aſteriſmorum *Figuræ* & *Ptolemaica* aſtrorum *Nomina* uſurpata ſunt: ideoque nececeſſum eſt ut & nos iis acquieſcamus & adhereſcamus, ne Vocabula uſitata mutando, *Formaſque* Conſtellationum vulgò receptas, *Veterum* Obſervationes reddamus inexplicitas.

Tycho *Brahe* Anno 1601 Fatis conceſſit; & poſt ejus obitum duos Annos, Bayerus ſuam edidit *Uranometriam*, in qua omnium *Aſteriſmorum* Mappas tradit: ejus *Figuræ* ſunt mediocres, *Stellæque* ſat benè inſculpuntur, ſecundum *Loca* in *Tychonis* Catalogo; plurimæque aliæ *Stellæ parvæ* adjiciuntur in *Tychonis* Catalogo non repertæ, ſed ex nudo ſuo tantùm Conſpectu, ut videtur, inſertæ; Eas nempe conſerendo cum *Fixis* quæ ſuis *Mappis* inſeruntur ex *Tychonis* Catalogo, cujus eadem eſt Nomenclatura. Sed quum omnes ejus Formas *humanas* (præter *Booten*, *Andromedam* & *Virginem*) depinxerit cum partibus poſterioribus ad Nos converſis, *Aſtra* illa, quæ omnes ante Ipſum Aſtronomi collocarunt in *Dextris* Humeris, Coſtis, Manibus, Cruribus ſive Pedibus, cadunt in ejus *Figuris* ad partes *Siniſtras* ſive contrarias: harum ergo *Formarum* ope, quicunque *Veterum* Obſervationibus examinandis incumbit, aut *Fixarum* Catalogis quavis Linguâ impreſſis vel editis, ad Anguſtias ſemet adductum ſentiet, ſi hac de Re antea non fuerit præmonitus.

Erroris à *Bayero* admiſſi Cauſa erat, ut veriſimile eſt, quòd quum ſæpiùs ei occurrerent hæ voces ἐν νωτῳ εν μεταφρένῳ in *Ptolemæi* Catalogis; atque Lexica *Græca* ad earum Significationem inveſtigandam pervolvens, ſemper invenerit νωτος latinè reddi *Dorſum* & μεταφρενον reddi *Tergum* ſive *Interſcapilium*,

pilium, concludebat *Interſcapilium* ſignificare *ſpatium* in *Dorſo* inter *Scapulas* comprehenſum, vel *Interſtitium* a Tergo inter *Lumbos* & *Scapulas*: ubicunque igitur harum Vocum Alterutra ei occurrebat in cujuſvis *Aſteriſmi* Deſcriptione, exceptis *Virgine* ac *Andromedâ*, illam cum *Tergo* nobis obverſo depinxit. Unde omnes iſtas Stellas collocat in Partibus *Siniſtris* quas *Ptolemæus*, cæterique Antiqui, omneſque deinceps, ad ſuam uſque Ætatem, Aſtronomi poſuerunt in ſuarum Formarum *Dextris* Humeris, Manibus, Coſtis, Cruribus vel Pedibus, &c. indèque Obſervationes vetuſtiſſimas falſas reddit ac abſurdas.

Ut huic mederetur Errori, dum *Fixam* quamlibet eminentem memorat in *Dextro* Humero vel *Dextrâ* Tibiâ verſantem, addit, *aliàs in Siniſtro*, &c. Quod equidem Hallucinationem excuſare videtur; ſed quum raro hoc fiat, eos intricabit qui ejus *Mappis* utuntur, Illaſque inutiles efficiet.

Si autem *Bayerus* Mappam *Sagittarii* tantùm delineaſſet vel aliam quamcunque Formarum *humanarum*; ita ut Stellæ, in *Ptolemæi* Catalogo locatæ, in Conſtellationum *Dextris* Humeris, Manibus, Lateribus, Pedibus, &c. ad *eaſdem* Partes in ſuis *Figuris* conſiſterent; tunc perſpexiſſet eas omnes ac ſingulas debere Faciem Nobis obvertere; & exinde comperiiſſet, quòd in *Græco* Ptolemæi ſermone, Vocabulum νωτος *Cratem Corporis* ſignificat, ſive *Coſtas*, & μεταφρενον Spatium inter *Humeros* vel inter *Lumbos* & *Scapulas* non ſolùm a *Tergo*, vel in *Dorſo*, ſed etiam in Parte Corporis *anteriore*, ſive Spatium inter *Alvum* & *Pectoris* partem ſuperiorem; atque ſic nulla fuiſſet inter ejus *Figuras* & *Veterum* Deſcriptiones Diſcrepantia: Mihi enim perſuaſum eſt, non ſolùm *Ptolemæum*, ſed ipſum etiam *Homerum*, hiſce Vocibus uti in latiori ſenſu quàm in *Lexicis* vulgò admittitur.

Nihilominùs, in plurimis Fixarum Mappis poſt *Bayereanas* exſculptis, Figuræ a *Bayero* deſumuntur iiſdemque Erratis ſunt obnoxiæ.

Eruditus Vir *Gulielmus* Scickardus, *Linguarum* Orientalium & *Matheſeos* Profeſſor, *Tubingæ* in *Germania*, Astroscopium ſuum *Nordlingæ* Anno 1655 edidit, in quo iſtam *Bayeri* Hallucinationem obſervat, & Confuſionem quam parit in Stellarum Denominationibus; nobiſque refert alios antehac quæſtos eſſe, ſe iſtas Stellas ſæpiſſimè locaſſe in Figu-

pag. 44.

 ratum

rarum *Dextris* Coſtis, Humeris, Manibus, quæ in omnibus *Ptolemæi* Deſcriptionibus ad partes contrarias collocantur; adeo ut *ſoli* minimè ſumus, aut *primi*, qui in iſta *Bayeri* Errata advertimus; alii enim & magni Nominis *Viri* dudum ante Nos idem fecêre: ideoque magis miror, quoſdam Viros recentiores *Bayeri* Figuras & Errata in ſuis *Hemiſpheriis* tranſcribere; tametſi *triginta* ab hinc Annis, & ultrà, hujus Rei fuerint certiores facti.

Dominus *Scickardus* in Tractatûs ſui parvi Exordio advertit, *Globos* Conſtellationibus cœleſtibus exprimendis non aptos eſſe per *Figuras* eis agglutinatas; & quicunque velit *Stellas* diſcere ex Imaginum in *Globo* depictarum Comparatione cum earum Ἀρχετύποις in *Cœlis*, ſeipſos citò ſentient multùm intricatos: quoniam hæc Imitamina fieri ſupponuntur in Facie *Globi* exteriori, vel ad *Oculum* poſitum extra *Globum*; quum tamen Aſtra ſpeculemur Nos, in *Conſtellationes* diſpoſita, a *Terrâ* noſtrâ, quaſi Sphæræ *concavæ*, cui affiguntur, *Centro*: ideoque oportet ut Eorum *Phænomena*, noſtri reſpectu, ſint quaſi Eorum partes averſæ ad Globi *Convexum*; atque ſic hi *Globi* Cœlis repreſentandis inidonei ſunt.

Pap. 43. Inſuper advertit Scickardus *Planiſphæras* vel projectiones *Stereographicas* huic Rei incommodas eſſe; quia *Gradus* propè Medium vel *Centrum* multò *Minores* efficiunt quàm propè *Limbum*, ſeu Partes Projectionis *exteriores*, & exinde *Figuras* omnes diſtorquent.

Hiſce Incommodis medendis, Nihil cenſebam aptius *Mappis* accuratis, ſed aliter projectis quàm ſunt *Vulgares* Mappæ; ſic, nimirum, ut omnes Declinationis *Parallelæ* ſint Lineæ *Rectæ* æquidiſtantes; & ut *Longitudinis* Gradus, in ſingulis *Parallelis*, ſint ubique proportionales *Sinibus* ſuarum Diſtantiarum a proximo *Polo*, & ſibi invicem æquales in iiſdem *Parallelis*.

Mappæ autem ſic deſcriptæ, uſitatis quibuſlibet Orthographicis & Stereographicis *Sphæræ* Projectionibus non quidem congruent, quæ *fixam Oculi* Poſitionem ſupponunt, in hiſce modò deſcriptis non etiam ſuppoſitam, ſive poſtulatam: at nihilominùs *hæ* Mappæ a *Globo* derivatæ ſunt, haud ſecus ac Projectiones *Vulgares*, ac multò aptiùs ſive rectiùs quàm ſunt Mercatoris *Projectiones*, tam crebro in uſu in *Mappis* totius Terræ vel *Regionum* particularium formandis; imò & peculiares habent

habent Utilitates ſuprà haſce *Mercatoris* & *Sphæræ* Projectiones modò memoratas. Hunc, nempè, in Modum,

Concipiatur *Globus*, ſive *Sphæra*, circumdari infinito Numero *Filorum* æquè tenuium & *Æquatori* exactè Parallelorum. *Circuli* omnes in Globo uſitati, ut *Æquator*, *Ecliptica*, *Meridianus*, &c. ducti ſupponantur ac diviſi.

Conſtellationes etiam ſuper Illis formentur & Stellarum *Loca* notentur, More ſolito.

Concipiatur quoque *Meridianus* per *Medium* cujuſlibet Conſtellationis tranſiens, ſuper *Globo* ductus, ac *tenui Filo* coopertus, cum tot ex *Adjacentibus* quot fuerit viſum.

Concipiantur *Fila*, ſuper quibus depingitur *Aſteriſmus*, a ſuperficie *Globi* exſecari; & Quod per *Medium* tranſit, porrectè extendatur in *parte* Media *Chartæ* alicujus, ſive in *Superficie* perfectè *Planâ*.

Reliqua ponantur ad *Rectos* cum *Meridiano* Medio *Angulos*, at inverſa; ita ut *illæ partes*, quæ in *Globo* collocantur ad *dextrum* Meridiani *Latus*, ad *ſiniſtrum* dicti *Plani* Latus conſpiciantur ſitæ, & *vice verſâ*.

Atque ſic Conſtellationis *Imaginem* & Figuram in *Plano* ſive *Chartâ* habebis projectam, ubi *Declinationis* lineæ *parallelæ* erunt *Rectæ*, earumque *Diſtantiæ* erunt eædem quæ ſunt in *Globo*; ſicut etiam erant Diſtantiæ ac Differentiæ inter *Adſcenſiones rectas* duarum quarumlibet Stellarum æqualiter a *Polo* remotarum, vel quæ eandem ab *Æquatore* Declinationem poſſident.

At *Meridiani* evadent *Curvæ compoſitæ*, ejuſdem nempè Naturæ, iiſdemque prædictæ Proprietatibus cum iſtâ quam clariſſimus noſtras *Doctor* WALLISIUS *Curvam Sinuum* appellat.

In Tractatu de *Cycloide*

Circuli Longitudinis & *Paralleli* Latitudinis eidem *Chartæ* inſcribi queunt, ope *Tabularum* ejuſmodi, quæ *Declinationes* oſtendunt & *Rectas* Adſcenſiones ſingulis Longitudinis *Gradibus* competentes, unà cum ſingulis *Latitudinis* Gradibus: nam exinde *Puncta* inveniantur in Chartâ ſive *Mappâ*, per quæ tranſiet unuſquiſque *Circulus* Longitudinis vel *Parallelus* Latitudinis; & per quæ ſi *Lineæ* Manu æquabili inveſtigentur vel ducantur, quæſitos expriment Circulos parallelos.

Ejuſmodi TABULÆ in *Regimontani*, multorumque tritorum Auctorum Operibus, reperientur, ad *decem* tantùm *Latitudinis* Gradus;

Gradus; at mihi adſunt *Tabulæ* multò accuratiores & conſummatæ, quæ Labori ac Induſtriæ Domini *Abrahami Sharp* debentur.

Quum huc uſque proceſſiſſem Ego, iſtarum Conſtellationum *Mappas* formare inſtitui, in quibus maximam *Fixarum* partem determinatam habui. Unumquemque *Declinationis* Gradum æqualem feci *Tribus* Digiti *Decimis*, ſive *Tres Digitos* æquales 10 Gradibus: curavi ut ſupradictus Dominus HODGSON *Chartas* præpararet, Stellarumque *Loca* punctis notaret, & ut *Imagines* iiſdem depingerentur ſecundùm Deſcriptiones in *Ptolemæi* Catalogo repertas, quæ apud omnes poſt eum *Aſtronomos* ſine quavis Alteratione in uſu fuere, donec *Bayerus*, eas reformando, vel aliter formando, penitùs vitiavit: præcipuum namque Conſilium & Intentio mihi fuit, antiquas reſtituere *Aſteriſmorum* FIGURAS, a *Ptolemæo* ejuſque Majoribus uſitatas, ut exinde præcaverem, ne ab Innovatoribus arrogantibus corrumperentur.

Quum verò *Lineamenta* non ſat artificioſè ducerentur ſicut Ego propoſui; Anno 1703 *Molitorem* ſive Ζωγράφον conduxi peritum, cui Chartæ dabantur benè præparatæ, in quibus 12 circiter *Conſtellationes*, ſummo quidem Artificio, depinxit.

Jam verò comperiens quòd in meo Catalogo *Stellæ* forent duplò plures conſcriptæ quàm in *Bayeri Mappis* aut *Hevelii* continentur Catalogo; *Mappas* meas ampliandas eſſe, neceſſarium duxi, atque loco ſive ſpatio *Trium* Digiti partium *Decimarum* uni Gradui attribui *quatuor* Digiti partes *Decimas*, Stellarumque *Imagines* efficere decrevi *minores* quam a *Bayero* confictæ ſunt, ut inde plus *ſpatii* lucrarer.

Interim tamen tum *Obſervationes* pro abſolvendo Catalogo, tum *Computationes* pro Stellarum *Locis* ex hiſce deducendis, omni quâ potui Diligentiâ promovebam; nam *Senectutem* mihi ingruentem ſentiebam, & Frigori nocturno tolerando minùs eram Idoneus.

HISTORIA mearum de FIXIS *Obſervationum* ſic traditâ, & verâ ECLIPTICÆ *Obliquitate*, ſive TERRÆ *Axeos* Inclinatione (prout ejus Motûs Aſſertores illam potiùs appellare velint) hactenùs demonſtratâ; quum etiam oſtenderim ſatis, in quem modum *Motûs* Terræ *Inæqualitatem* determinabam, veraque *Loca* quarundam ex *Fixis* eminentioribus, & ab iis *Loca* reliquarum quæ in meo inſeruntur Catalogo: *Tandem* Rationem reddam

De *Ordine* ac *Uſibus*
mei CATALOGI.

Catalogus Loca exhibet *Fixarum* fermè 3000 in Vulgaribus Conſtellationibus contenta; Itidem *Loca* Fixarum in Novis Conſtellationibus *Sextantis Heveliani*, nempè LEONE *minore*, CAMELOPARDALI, CANIBUS *venaticis*, LYNCE, LACERTA & VULPECULA; in quibus omnes, quas habet *Hevelius*, Stellas non inſerendas putavi; quia Obſervationum ſatis tunc non fueram nactus pro Earum *Locis* definiendis, quando *Hiſtoriæ meæ Cœleſtis Britannicæ* VOLUMEN PRIMUM Typis mandaveram.

Conſtellationes *Eclipticales* primo loco ponuntur, eodemque ordine quo *Meridianum* tranſeunt: hiſce proximæ ſunt quædam Conſtellationum *Auſtralium* in Meridiano noſtro viſibilium; quoniam poſt *Eclipticales* confeſtim obſervabantur: ac denique *Boreales* locantur; quia nóviſſimè ſunt obſervatæ.

Prima parva *Columna* monſtrat *Locum* quem aliqua Stella in *Ptolemæi* Catalogo poſſidet.

Secunda Columna oſtendit *Locum* quem aliqua Stella in *Tychonis* Catalogo obtinet.

Tertia verò Stellarum indicat *Nomina* ſecundùm *Ptolemæum*; quæ quidem Nomina mordicùs tenenda & conſervanda duxi; quandoquidem non ſolùm *Arabes* & *Perſæ* in ſuis Stellarum *Catalogis* & ſuarum Obſervationum *Hiſtoriis*, ſed & *Germani*, *Itali*, *Galli*, *Hiſpani*, *Luſitani* atque noſtrates *Britanni*, iiſdem uſi ſunt Nominibus; atque ſi aliter feciſſent, *Veterum* Obſervationes Intellectu admodûm Difficiles reddidiſſent: *Veteribus* igitur adhæreſco, ac *Innovatores* ignaros, arrogantes, ab omnibus integerrimis & peritiſſimis *Aſtronomiæ* Profeſſoribus poſteris caſtigandos relinquo & puniendos.

Quarta Columna continet *Characteres* quibus *Bayerus* in Mappis ſuis *Stellas* notavit ac diſtinxit: *primas* Alphabeti

Græci Literas apponit *majoribus* Stellis in unaquaque Conſtellatione, ſequentes verò *Minoribus:* atque hoc monendum duxi, quoniam quidam accurati Obſervatores ejus Characteribus uſi ſunt, licet nec ejus Stellarum Appellationes recenſeant, nec *Nomina antiqua.*

Quinta Columna Rectas indicat *Fixarum* Adſcenſiones uſque ad Annum 1689 exeuntem, ſive ad Annum 1690 ineuntem, in *Gradibus*, *Minutis* & *Secundis* definitas.

Sexta Fixarum tradit *Diſtantias* a *Polo* viſibili ſive *Arctico*, ſimiliter in *Gradibus*, *Minutis* & *Secundis* determinatas.

Septima veras prodit *Earum* Longitudines.

Octava Earum veras dat *Latitudines* in iiſdem Menſuris: ubi Literæ B. & A. monſtrant utrum *Boreali* an verò *Auſtrali* gaudeant Latitudine?

Nona docet quantum *Stella* mutat *Rectam* ſuam Adſcenſionem, dum ejuſdem *Longitudo* creſcit *uno* Gradu.

Decima oſtendit quantum variat ſuam *Declinationem* eodem Tempore.

Undecima demùm *Columna* indicat, cujus Magnitudinis Stellam eſſe arbitratus ſum quando eam obſervatam habui.

Harum *Variationum* ope, Recta Adſcenſio *vera* & a Polo *Diſtantia* Cujuſvis Stellæ in *Catalogo*, pro Tempore quovis *præterito* vel *futuro*, Centum Annos non excedente, facillimè indagari queunt.

Veterum Obſervationes Noſtris comparando, comperio Annuum *Receſſum* Punctorum Æquinoctialium *Terræ* eſſe 50″ unde Eorum *Longitudines* uno Gradu promoventur ſpatio Annorum 72; atque ſi Annum 1690 ab *Anno* propoſito ſubducatur, Annorum habebis *Intervallum*; ita ut dicere licet

Ut 72
Ad Annorum *Intervallum*
Ita *Minuta* & *Secunda* alterutrius Variationis
Ad Partes *proportionales* ad Intervallum pertinentes.

Rectæ Adſcenſiones omnium harum Stellarum quæ *Eclipticæ* ejuſque *Polo* interjacent (ſive quæ longiùs quam 23° ½ ab *Eclipticæ* Polo diſtant) in *Recta* Adſcenſione creſcunt, prout augentur Earum *Longitudines:* ideoque in omnibus ejuſmodi Stellis addantur Partes *proportionales* quæ ſpectant ad *Intervallum* Rectæ *Adſcenſionis* Stellæ in *Catalogo* repertæ poſt Annum 1690.

Sic

